



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

D. JAC. GABRIEL. WOLFII, JCTE

POTENT. REG. BORUSS. CONSIL. AULÆ
ET PROFESS. JURIS ORDIN. IN REGIA
FRIDERICIANA,

INSTITUTIONES

JURISPRUDENTIÆ

NATURALIS

TUM PRIVATÆ TUM PVBLICÆ

QUIBUS REGULÆ

JUSTI, HONESTI, DEC

AC

PRUDENTIÆ

SECUNDUM

PRINCIPIA THOMASTIANA

DISTINCTE

EXPLICANTUR ATQUE APPLICANTUR.

CUM PRIVILEGIO S. REG. MAJ. BORUSS.

L I P S I Æ

APUD JO: SAMUELEM HEINSIUM.

ANNO M DCC XLI.



REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMO

ATQUE

EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO

MARQUARDO
LUDOVICO

LIE, BARONI DE

PRINZEN,

HEREDITARIO DOMINO IN KARO, SEDORF,
NIELBOCK, WESLIN, KADERSDORF,

CETERA,

SERENISSIMI REGIS BORUSSIÆ SUPREMO
AULÆ MARESCHALLO, MINISTRO
STATUS INTIMO

BORUSSICI ORDINIS AQUILÆ NIGRÆ EQUITI,
REGII PALATH PRÆFECTO SACRORUM
TRIBUNALIUM PRÆSIDI, REI BENEFICIARÆ
DIRECTORI, PRÆFECTURARUM JERICO ET
ALTENPLATHO GUBERNATORI,

SUPREMO REGIARUM ACADEMIARUM CURATORI,
MAGDEBURGENSIS BASILICÆ CANONICO,

RELIQUA

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO

FAUSTA QUÆVIS ATQUE

FELICIAS

ILLUSTRISIME

ATQUE

EXCELLENTISIME DOMINE,

DOMINE GRATIOSISIME.



Oli, quæso, succensere,
quod clientum TUO-
RUM postremus non
solum publice TE alloqui, sed
NOMEN quoque TUUM
ILLU-

ME

E,

ME

serere,

JO-

non

sed

UM

LU-

ILLUSTRISSIMUM hujus
 lucubrationis fronti præfigere non
 vereor. Fluctuanti & subinde
 dubitanti, an pudentis hominis
 esset maxima curarum publica-
 rum parte oneratum REGIÆ
 AULÆ ADMINISTRUM
 importuna salutatione fatigare, cal-
 car addidit ipsa legis naturalis me-
 ditatio, quæ recte præcipit, ut
 CUIQUE SUUM tribu-
 tur; quam in ipso limine migrare,
 auctori, qui ejus in se commen-
 tationem suscepit, turpe videba-
 tur atque indecorum. Cui enim
 TUUM non dicerem, quod
 TUIS auspiciis in museo meo
 natum; cum TIBI, REGIÆ
 FRIDERICIANÆ SU-
 PREMO CURATORI,
 optimo jure debeantur, quotquot
 ex ea in lucem publicam emitt-
 untur foetus ingeniorum? Huc
 accedit, quod, vel me tacente,

X(3 multo-

multorum conscientia tenetur, TE
inprimis AULÆ REGIÆ
existisse, qui studia mea tueretur,
&, ne sine præmiis essent, ab
AUGUSTISSIMO &
POTENTISSIMO REGE
& Musarum NUTRITORE
MUNIFICENTISSIMO
impetraret, ut publico juris do-
cendi munere mihi demandato,
in numerum hujus Musarum fa-
rorarii Professorum clementissime
cooptarer. Pro tanti benefici
magnitudine licet TE ex isto
tempore demississimo animi af-
fectu semper sim veneratus: ali-
qua tamen ratione efficiendum ex-
istimaui, ut singularis TUÆ
gratiæ memoria mea, ac volun-
tas a TUO cultu numquam
dimota & TIBI & bonis
omnibus pateret. Quare eo
sum annisus, ut Musæ meæ
pararent, quod eruditorum &
TUOS

T U O S inprimis oculos sustinere posset, gratæ mentis & subjectionis documentum: quod & materia mihi esset, publice dilaudandæ atque prædicandæ bonitatis **T U Æ**; nec non leve specimen, **T E** non in indignum omnino hominem tantum contulisse immeriti favoris cumulum. Accipe itaque, qua soles, benevolentia, jurisprudentiæ naturalis opusculum, quod auspicio **ILLUSTRISSIMI NOMINIS TUI** exit in publicum, ut & ipsum auctoritate **T U A** sit commendabilius, & quantum **T I B I** debeam, doctis omnibus annuntiet. De cetero quemadmodum vota pro salute & felicitate **T U A** nuncupare numquam desino, ita, ut gratiam istam **T U A M** mihi conserves, ac studiis meis pro more **T U O** favere pergas,

);(4 quanta

quanta possum maxima conten-
tione ac submissione rogo atque
obtestor.

ILLUSTRISSIMI
ATQUE
EXCELLENTISSIMI
NOMINIS TUI

Hala Magdeburgica,
d. XXVII. Sept. clō Iocē XXX.

demississimus cultor
J. G. WOLF.

PRÆ.

PRÆFATIO.

Iurisprudentiæ naturalis insignem esse in omnibus juriura singularium partibus usum, nemo facile, nisi præjudicatis opinionibus occæcatus, inficias ibit. Quare & mihi, posteaquam docendi munere in hac musarum sede fungi cœpi, illius studium adeo curæ cordique fuit, ut diligentius eidem explicandæ vacaverim.

Ea autem mihi mens non uno abhinc anno constanter hæsit, *legis naturalis ambitum tam late patere, ut nefas duxerim angustioribus, quam par est, iusti, in sensu stricto accepti, regulis illam colligare, atque in illius doctrina ea tantum explicare officia, quæ paci externæ conservandæ conducunt.* Iusti elogio mactamus eum, qui aliorum jura, sive connata, sive acquisita fuerint, turbare haud intendit; sed suis quemque sui quiete patitur. Cum autem ad perficiendam, quam supremus legislator intimo amoris affectu cupit, *mortalium, felicitatem, impalem,*

)(5

plura

PRÆFATIO.

plura requiri, vel ipso rectæ rationis lumine prælucente, quotquot sanis utimur præcordiis, perspicue distincteque cognoscamus; nempe, ut, excusso pravorum affectuum jugo, *interne quieti*, quantum fieri potest, studeamus; nec non decente cum aliis agendi ratione mutuam, quæ firmissimum humanæ societatis vinculum est, *amicitiam ac benevolentiam* in commune bonum, *ore, gestu, opere*, quamvis jure id postulare nemo queat, sponte stabiliamus, conservemus, ac denique cum propensione hac in bonum, quæ veram constituit *sapientiam*, media ad finem utilius conducant, atque impedimentis, quæ *status* conservationi obsunt, removendis quam aptissima, duce *prudencia*, eligamus atque in usum deducamus: hinc profecto nemo, nisi præsumtis opinionibus imbutus, dubitabit, quin regulæ *justi, honesti, decori ac prudentiæ*, in jurisprudentiæ naturalis doctrinâ, successu haud infelici, modo justus fervetur ordo, conjungantur. Hac enim ratione multas melius, ac fieri passim consuevit, explicari *questiones* posse, tam sum persuasus,

sus,

PRÆFATIO.

fus, quam qui est persuasissimus. Tam arcto enim ista vinculo connectuntur principia, ut de una eademque actione hominis morali inquirendum semper sit, an iuste, honeste, decore ac prudenter suscipiatur. Quæ itaque in applicatione conjungenda sunt, ea quo minus & una commode doceantur, nihil profecto obstare mihi videtur.

Doctrinæ quidem distinctioris & majoris perspicuitatis obtentu tribus illa disciplinis explicari novimus. Cave tamen, existimes, confusionem necessario oriri, si quis hanc methodum deseruerit. Legis enim naturalis lætius extensæ doctrinam quatuor istas regulas generales, ex attentâ morales hominum felicitatis meditatione sua sponte fluentes, complecti; facili, opinor, negotio ex ante dictis patebit. Cui talia, nec *distincte*, nec *perspicue*, nec *vivide* cognita sunt ac perspecta, is profecto prima extremis, ima supremis quam confusissime miscebit, licet separatim disciplinarum cursum instituat. Qui vero ab indicatis jam jam vitiis immunem se præstat,

P R Æ F A T I O.


præstat, atque ex distincte præmissis, solideque collocatis fundamentis generalioribus, de morali hominum felicitate, deque saluberrimis, quæ ad hanc nos perducunt, justis, honestis, decori, ac prudentiæ præceptis, ubi ad specialia progreditur, distinctas elicit conclusiones, & cum principiis perspicue connectit, illum confusionis reum nemo, nisi stupidus aut invidiosus arguet.

Cum autem hac methodo elaborata jurisprudentiæ naturalis elementa in usum prælectionum academicarum commode mihi usurpanda, deficerent, e re futurum aliquamdiu existimavi, si in iis concipiendis calamus exercerem. Hinc itaque natum est, quod jam in lucem emitto publicam, opusculum. Cui ut æque ac auctori, bene cupere velis, etiam a Te, B. L. atque etiam peto ac contendo, perennem Tibi cetera felicitatem apprecatus. Dab. die

27. Sept. 1719.



SERIES



SERIES CAPITUM

PARS GENERALIS.

Caput I.

De natura hominis morali. pag. 1

Caput II.

De norma actionum humanarum in genere. 29

Caput III.

De jure naturæ ac gentium speciatim, nec non de regulis justitiae, honestitiae, decori ac prudentiæ, earumque obligatione. 42

Caput IV.

De virtute ac vitio. 4

Caput V.

De diverso hominum statu. 64

Caput VI.

De applicatione juris ad factum. 70

PARS

PARS SPECIALIS.

SECTIO I.

DE

JURISPRUDENTIA NATURALI AC GENTIUM PRIVATA.

Caput I.

De officio hominis erga Deum, nec non
de jure hominis intuitu religionis. 74

Caput II.

De officio ac jure hominis intuitu sui
ipsius. 90

Caput III.

De officio ac jure hominis erga alios:
speciatim de non turbandis aliorum
juribus. 110

Caput IV.

De officiis humanitatis. 123

Caput V.

De officio ac jure paciscentium. 137

Caput VI.

De officio ac jure hominum circa ser-
monem. 179

Caput VII.

De officio ac jure hominum intuitu juris-
jurandi. 191

Caput VIII.

De officio ac jure hominum circa distincta
rerum dominia. 207

Caput

Caput IX.

De officio ac jure hominum circa rerum
pretia. 243

Caput X.

De officio ac jure contrahentium. 251

Caput XI.

De officio ac jure conjugum. 289

Caput XII.

De officio ac jure parentum ac libero-
rum. 313

Caput XIII.

De officio ac jure dominorum & servo-
rum. 324

SECTIO II.

DE

**JURISPRUDENTIA PUBLICA
UNIVERSALI.**

Caput I.

De natura ac nexu civitatis. 377

Caput II.

De majestate atque officio imperantium. 383

Caput III.

De potestate legislativa. 360

Caput IV.

De jure constituendi ministros, magistra-
tus atque officiales inferiores. 367

Caput V.

De potestate judiciaria. 370

Caput

	<i>Caput VI.</i>	
De jure poenas ac præmia distribuendi.		374
	<i>Caput VII.</i>	
De jure imperantium intuitu existimationis atque honorum civium.		386
	<i>Caput VIII.</i>	
De jure imperantium in bona publica & privata.		388
	<i>Caput IX.</i>	
De jure imperantium in collegia.		397
	<i>Caput X.</i>	
De jure imperantium in religionem ac studia.		400
	<i>Caput XI.</i>	
De jure belli ac pacis.		410
	<i>Caput XII.</i>	
De jure foederum.		426
	<i>Caput XIII.</i>	
De legationum jure.		429
	<i>Caput XIV.</i>	
De diversa rerum publicarum forma.		438
	<i>Caput XV.</i>	
De modis acquitendi & amittendi imperii, nec non de tutela regia.		456
	<i>Caput XVI.</i>	
De officio ac jure subditorum.		468
	<i>Caput XVII.</i>	
De mutatione atque interitu civitatum.		472

4
-
6
&
8
97
ac
00
10
26
29
38
ii,
56
68
m.
472
N.

INSTITVTIONES
IURISPRVDENTIÆ
NATVRALES.

REPRODUCED FROM
THE NATIONAL ARCHIVES
AT COLLETS



PARS GENERALIS.

CAPVT I.

DE

NATURA HOMINIS

MORALI

§. I.

Naturæ vocabulum diuersas, tum *Vox na-*
 apud Philosophos, tum apud *tura*
 Theologos, habere significa- *quomo-*
 tiones, inter omnes, qui aliqua *do hic*
 rei litterariæ notitiâ imbuti sunt, satis *accipia-*
 perque constat. (a) Nobis vero hic ita
 accipitur, ut *complexum* denotet *omnium*
hominis facultatum, propensionum, habi-
 A 2 *tutum*

(a) Videri ea de re potest JOH. CHRISTOPH. STURMIUS *de naturæ agentis idolo.* Item ROBERTUS BOYLE *in disquisitione de ipsa natura.* Theologi naturam opponunt gratiæ.

(b)

suamque naturalium, ne corporis quidem temperatura, quatenus hæc in actiones morales influit, exclusa.

§. II.

De natura hominis morali speciatim.

Per naturam hominis moralem intelligimus *complexum potentiarum voluntatis, quæ, ex conjunctione cum bono, vel malo, hominem aut felicem reddunt, aut infelicem.* Quo ipso tamen naturam hominis moralem naturæ ejus, quam vocant, *physicæ (i. e. de qua in Physicis agitur,)* non opponimus, neque cogitandi facultatem excludimus; sed arctissimum potius inter has nexum statuimus (b).

§. III.

Hominis definitio ac partes.

Hominem dicimus *animal mente præditum.* (c) Quo ipso simul indigitamus, duabus illum constare partibus essentialibus, (d) *corpore scilicet ac mente.*

§. IV.

(b) Conf. DN. THOMASIIUS in *fundamentis Juris naturæ & Gentium* L. I. c. I. §. 57 seqq.

(c) Controversiam, quæ de hominis definitione inter Philosophos est agitata, recenset HOCHSTETTERUS in *collegio Pufendorff. Exercit. V. ad §. 1. lit. (d) p. 216.* Dicendum hic quoque est de hominis differentia a bestiis.

(d) Alienus itaque sum ab eorum hypothese, qui

§. IV.

Mentis duas rursus deprehendimus facultates primarias, *intellectum* seu facultatem cogitandi; & *voluntatem*, seu facultatem appetendi atque averfandi. Quæ quidem potentia licet sint *distinctæ*, in una tamen mente arctissimo nexu *coherent*. Quare & parum conducere existimo, ut de distincta harum potentiarum *sede* (e) subtili disputatione concertemus. Vix quoque operæ pretium erit, de *puris* atque *impuris* utriusque potentia *operationibus* multa in medium proferre.

§. V.

Ad intellectum quod speciatim attinet, De *ins*

A 3

CO

qui tres homini partes essentielles tribuunt. PLATONIS hoc fuisse dogma ex MARSILII FICINI *commentario in convivium Platonis* & quidem *orat. VI.* apparet. Nec STOICOS ab isto errore immunes pronuntiare possumus. Inter recentiores hujus doctrinae affectas JOH. BAPTIST. HELMONTIUM, THEOPHRASTUM, PARACELSUM & PETRUM POIRETUM præ ceteris collocare debemus.

(e) Ferre tamen possum loquendi formulas, sedem intellectus esse in cerebro; voluntatis in corde.

(f)

*tellektu
& recta
ratione.*

eo res varias non solum nos percipere atque cognoscere sed & ratiocinando dijudicare, omnes facile, ut opinor, concedent, qui aliqua sui cognitione sunt imbuti. (f). Atque hæc æque facile quemlibet concedebit, *intellectum* neutiquam omnino pati, sed & agere in operationibus suis. (g) *Intellectum* judicando agentem proprie *rationem* vocamus; (h) quæ omnino in moralibus certo modo recta pronunciari debet. (i) Est autem *recta ratio facultas de rebus moralibus, rectum, ceteris paribus, insti-*

(f) Hinc *potentiam* intellectui tum *apprehensivam*, tum *judicativam* nonnulli tribuunt. PUFEND. de J. N. & G. L. I. c. 3. §. 1. 2. Dicendum hic quoque de ideis. Conf. HOCHSTETT. Coll. Pufend. Exercit. XI. §. 9. 10.

(g) Qua occasione notandi CARTESIANI cum POIRETO. Notandus quoque BARBEYRACIUS, qui *judicium cum Cartesianis ad voluntatem* refert in *notis ad Pufend. de Officio H. & G. L. I. C. I. §. 4.* Conf. JOH. SCHMIDII *Dissertatio de judicio ad intellectum, non voluntatem pertinente* 1703. Lipsia habita.

(h) Notandus iterum POIRETUS.

(i) PUFEND. cap. I. §. 3. DN. THOMAS. in *Jurisprud. divina* L. I. c. 2. §. 66. seqq.

(k)

instituenti judicium, sive veras ex veris principis moralibus conclusiones eliciendi, atque adeo & bonum a malo discernendi. Quæ nisi adesset menti humanæ potentia, quibusvis delictis invincibilem homines ignorantiam possent obtendere.

§. VI.

Cognitioni intellectus opponitur *ignorantia*, quæ meram denotat cognitionis privationem. Cui affinis est *error*, cognitionem quidem aliquam denotans, sed falsam, atque a veri cognitione alienam. Ignorantia alia est *efficax*, quæ effecit, ut actio fuerit suscepta; alia *concomitans*, quæ, si vel maxime abfuisset, actionem tamen non mutasset. Porro alia dicitur *vincibilis*, quam quis evitare potuisset, si debita cautione ac diligentia usus fuisset; alia *invincibilis*, quando nullis viribus suis impedire homo potuit, quo minus in ignorantiam, quæ ipsum tenet, incidere. Quæ divisiones & errori sunt applicandæ. (k)

De ignorantia & errore.

A 4.

§. VII.

(k) Dicendum hic de ignorantia, vel errore *juris & facti*: quæ distinctio juris civilis interpretibus admodum est vulgaris. (l)

§. VII.

De conscientia. *Judicium hominis de actionibus suis, ad legem relatis, conscientiam vocamus. (l)*

Quæ quidem facultas licet in omnibus, qui rationis usu præditi sunt, deprehendatur; sensu tamen morali sæpe *deficere, dormire* atque *extincta* esse dicitur. Quando eadem in actum deducitur, vel *vera* est, vel *falsa*, prout nempe homo de actionibus suis, ad legem relatis, vel verum vel falsum instituit judicium; quarum illam rursus *incertam*, quæ certis nititur rationibus; ac *verosimilem*, quæ verosimilia tantum sequitur argumenta, dividere solemus. (m) Quemadmodum autem falsam, seu erroneam conscientiam nonnulli omnino indignam conscientia nomin-

(l) Notandus hic PETRUS CHAUVINUS, qui libro de religione naturali conscientiam dixit DEum, menti nostræ insidentem, cumque ea intime differentem: refutatus à Dn. BUDDEO.

(m) PUFENDORFFIUS veram cum certa confudit. Dicendum hic quoque de Probabilismo Jesuitarum. Vid. RACHELII Examen probabilismi. La morale des Jesuites. Dn. BUDDEI Histor. juris natura §. 14.

nomine pronunciant; ita & quæ de *dubia* vulgo conscientia in medium profertur, non sunt extra teli jactum posita.

(n) Recte tamen interea sentiunt, qui contra conscientiam, quamvis erroneam eadem fuerit, agere, nefarium existimant. (o)

§. VIII.

Præter facultatem intelligendi homo De voluntate quoque appetendi, seu concupiscendi potentiam, cum cogitatione conjunctam, intra se deprehendit. (p). Quæ potentia

A 5

iti-

(n) Dn. BUDDEI *Theolog. Moral. Pars. I. c. I. S. III.* Est autem dubia conscientia anceps hominis iudicium de actionibus suis, ad legem relatis, ob rationes forte in utraque partem obvias, de quarum maiore, vel minore pondere ipsi non satis constat.

(o) Dicendum hic, quatenus conscientia *actionum norma* pronunciarī queat. Conf. hic DN. THOMASII *fundamenta F. N. & G. L. I. cap. IV. §. 15. seqq.* Addenda quædam de aliis conscientia appellationibus. Dicendum demique de divisione conscientia in antecedentem & consequentem.

(p) Dicendum hic de appetitu brutorum, & jusque a voluntate hominis differentia. Conf. *cit. Fundam. F. N. & G. Libr. I. c. I. §. 35. seqq.* Notandus hic etiam SPINOZA,

qui

itidem & *activa* & *passiva* est. (q) Agit mens, cum eligit aliquid voluntas: Partitur, antequam se ad electionem accingat. Cum itaque nulla volitio sine passione & actione, adeoque nec sine motu concipi possit; sequitur inde, *penendum* hic aliquid esse, quod motum *ciere aptum* sit. Idque tum *in* homine, tum *extra* eum. Hoc enim facit, ut mens vim suam edat, eligendo, vel averfando, prout sub specie boni, aut mali, sese vivide objectum repræsentat. Electio hæc, vel averfatio non cæco impetu, sed *prælucen- te intellectu*, est suscipienda, ut verum bonum eligamus, malumque verum aversemur. Cave tamen, opineris, *intellectum imperare voluntati* (r), tantum enim abest, ut hoc vero sit simile, ut potius experientia testetur quam evidentissime, intellectum a voluntatis impulsu admodum pendere.

§. IX.

qui voluntatem negavit esse singularem hominis facultatem.

(q) Notandi hic iterum CARTESIANI.

(r) Præconcepta hæc opinio ex Philosophorum ethnicorum scholis promanavit.

(r)

§. IX.

Quamvis autem homo bonum in genere semper appetat, ac malum in genere aversetur, in applicatione tamen sæpe malum pro bono arripi, quotidiana docemur experientia. Quodsi cuncti faceremus, ac numquam non caute ageremus, nullum est dubium, quin & in electione boni universa pariter ac singula accuratius sumus consideraturi, antequam ad rei apprehensionem procederemus. Cum vero insigni hic defectu laboremus; bona etiam, quæ occurrunt, partim vera sint, partim *apparentia*; atque omne fere malum ab uno latere boni cujusdam specie ludat; hinc sæpe vel non insipientibus ea in re aqua hæret. (s)

§. X.

Ex quibus abunde licet colligere, quam sit necessarium, ut veri boni naturam ante omnia detegamus, ne anguem pro herba accipiamus. Sermo autem nobis hic non est de bono in genere, sed *cum applicati-*

(s) Conf. cit. fundam. J. N. & G. L. I. c. 3. §. 19. seqq. It. DN. GUNDLINGII *via ad veritatem moralem* c. XVIII. §. 41. seqq.

applicatione ad hominem (t) considerata. Quo posito, verum bonum dicimus, *quod ad veram hominis felicitatem conducit*: (u) quæ summam in eo consistit, ut sit mens sana in corpore sano. Bonum itaque morale hominis, quod animum respicit, & de quo hic potissimum agimus, statum involvit medium inter voluptates, quæ titillant, & dolores, qui nos quiete privant. (x)

§. XI.

*Divisio
ejus &
gradus.*

Omne porro bonum verum una & *honestum & utile & jucundum* pronunciamus. (y) Præterea bonum quoque verum

(t) Quid enim hic juvabit bonum absolute considerare? Quo significato nonnulli otiosi vel ipsum diabolum, eo, quod existit, bonum pronunciare non dubitarunt. Conf. PUFEND. *de F. N. et G. libr. I. cap. IV. §. 4.* ibique BARBEYRAC.

(u) Notandus hic BAYLIUS cum aliis viris celeberrimis.

(x) Bonum ergo *apparens* est, quod ab hoc statu medio nos abducit. Dicendum hic de *indolentia Epicuri*. Vid. GUNDELINGIANA *Part. II. Observat. I.* HIPPOCRATES magnas voluptates summa appellavit mala.

(y) Refutandi hic ARISTOTELICI, & laudandi

tum dividere vulgè solemus in bonum animi, corporis & fortune: Quæ tamen divisio suo etiam defectu laborat. Melior est illa, qua bonum hominis dicimus vel *ordinarium*, quod homini conducit in statu ordinario, quem DEUS intendit ad ejus conservationem: vel *extraordinarium*, quod homini conducit, ut ex statu extraordinario, qui ordini a DEO constituto repugnat, feliciter evadat. Porro bonum aliud dicitur *positivum*, quod felicitati nostræ incrementa addit; aliud *privativum*, quod malo nos privat, ac restituit felicitati. Denique & bonum suos habet gradus, adeoque datur bonum *minus* & *magis*, immo *summum*. Bonum summum est, quod plene nos exfatiat adeoque pacatissimos reddit felicissimosque. (2)

§. XII

dandis contra HOBBIUS, qui hac parte veritatem defendit. It. CICERO *de officiis* L. III. C. 3.

(2) Conf. ad utrumque præcedentem paragraphum DN. THOMASII *Introduct. ad Philosophiam moralem. cap. I.* it. DN. GUNDL. *viam ad veritatem c. 3. seqq.* Dicendum hic de ineptis circa summum bonum disputationibus. Ex supra dictis facillime redditur

§. XII.

De DEo, seu summo bono. Cum vero mens nostra sit immortalis; necessario consequitur, summum, quod optat, bonum itidem debere esse immortale atque infinitum, ut desiderii nostri sitim omni loco ac tempore possit extinguere, vitamque adeo nostram perpetuo beatam reddere. Hoc itaque bonum DEUS est (a), in quo tandem spes omnis figenda, desideriumque nostrum finendum. In bono itaque supremo acquiescimus. Acquiescere hic idem est, ac amare extoto corde. Qui tamen amor summi boni nec amorem sui, nec sociorum excludit, sed subordinatum habet. (b)

§. XIII.

De affectibus in genere. *Inclinatio voluntatis ad bonum & declinatio a malo*, de quibus jam diximus, affect-

ditur *veri mali cognitio*: hoc quippe nomine omne illud venit, quod verae hominis felicitati repugnat. Atque id pariter suos habet gradus.

(a) De existentia DEi infra dicetur, *Cap. de officio hominis erga DEam.*

(b) Dicendum hic *de amore DEi puro* deque libitibus, ob hanc doctrinam, FENELONIO, Cameracensi Archi-Episcopo, motis. *De cultu DEi specialius* agetur infra.

(c)

affectuum nomine venire solet; affectus enim est *actualis commotio voluntatis*, bonum appetentis, vel malum averfantis. Unde quam evidentissime patet, *scilicet* affectuum, ut loquuntur Philosophi, in voluntate esse quarendam, non in intellectu. Quid? quod inde quoque certo concludimus, commotionem, quam in affectibus deprehendimus, omnino passivam haud esse. (c)

§. XIV.

Primarii affectus duo sunt: *amor* atque *odium*. Amoris vocabulo denotamus desiderium boni; non solum acquirendi, sed & conservandi. Odium vero hic significat desiderium mali declinandi. Ad quas classes; non difficile est, reliquos referre affectus, quippe qui diversæ tantum sunt amoris atque odii applicationes, specialibus, ob frequentem usum, appellationibus designatæ. (d)

§. XV.

(c) De utroque secus statuunt CARTESIANI. Dicendum etiam de aliorum Philosophorum hypothesebus. Conf. DN. THOMAS. *Præxi Philosoph. moral. Cap. II.*

(d) Non desunt tamen, qui secus ea de re sentiant. Dicendum de ARISTOTELICIS, STOK

§. XV.

De moralitate affectuum.

Qui quidem affectus quamvis multorum malorum causæ existant, ex insigni, qui quotidie ob oculos versatur, abusu, malos tamen affectus in se nemo pronuntiabit; qui rem accurata lance pensaverit. (e): Nempe si abstractivè, ut vulgo loquimur, affectus consideramus, nec boni sunt; nec mali; in applicatione autem & boni & mali esse possunt. *Boni* sunt in applicatione, quando cum ratione verum bonum appetimus, malumque verum averſamur. Atque hic est amor rationalis; hoc odium rationale. Cum vero homines, ut sunt natura, a scopo declinent; atque in vitia propendant; hinc affectus eorum, in concreto consideranda-

STOICIS, CARTESIO atque HOBBE-SIO: Ego interim certus sum, & *spem* & *metum*, quibus homines maxime reguntur affectibus, sub amoris atque odii classe quam facillime, & sine ulla pugna, posse collocari. Spes enim est desiderium boni conjunctum cum persuasionè eventus facilioris. Metus est desiderium mali declinandi, cum difficultioris, quò impedimenta, eventus persuasionè conjunctum.

(e) Dicens hic de lite, quæ ARISTOTELICIS fuit cum STOICIS.

derati, merito pro malis habentur, donec contrarium ostendatur.

§. XVI.

Malorum affectuum tres hic potissimum sunt nominandi, qui & *primariorum hominis passionum* vocabulis vulgo enunciari solent: nempe *voluptas*, *ambitio* atque *avaritia*, amoris irrationalis filiae genuinae; quamvis ea nonnumquam ratione mixta, ut amoris rationalis adeoque & multarum virtutum speciem praese ferre videantur. Quapropter curate hic omnia sunt ponderanda, ne umbram pro corpore, virtutis simulacrum pro virtute ipsa accipiamus. Per voluptatem autem intelligimus *vagum amorem eorum, quae sensus titillant*, conjunctum cum odio temperantiae; per ambitionem *vagum amorem eminentiae atque imperii*, conjunctum cum odio modestiae; per avaritiam *vagum amorem divitiarum*, conjunctum cum odio omnis communionis.

§. XVII.

Appetitiones frequentius repetitae mores progenerant; qui iidem vel boni sunt, vel mali. Hi eundem efficiunt, ut

B

actio

actio aliqua facillime suscipiatur: absolutam autem agendi necessitatem non imponunt. Quomodo itaque in hominis potestate suo modo positum fuit, mores hos vel illos induere; itaque ex consuetudine agendi contracta nec virtutibus, si cetera recte se habeant, quidquam splendoris decedit; nec vitis potest accedere patrocinium.

§. XVIII.

De terminis affectuum.

Ceterum uti in omni motu, ita in commotionibus voluntatis, quæ affectuum nomine veniunt, *terminus a quo, & terminus ad quem*, ut cum Philosophis loquamur, sunt expendendi. Ille est malum positivum, vel privatio boni; hic vero bonum aliquod positivum vel privatio mali. Unde sua sponte sequitur, si quis rem accurate consideret, affectus semper in bonum futurum ferri. Præsentia enim sentimus, non appetimus.

§. XIX.

De eorum causa, nec non effectu ac gradibus.

Causa affectuum est objecti cuiusdam, sub ratione grati, aut aduersi, representatio. *Effectus* vero & simul comes affectuum plerumque est delectatio, quæ facit, ut homines affectibus libenter indul-

dulgeant. Quamvis negari non possit, sæpe etiam affectus minus gratam in animo perceptionem post se relinquere. In intellectu autem affectus efficiunt, ut quædam veluti caligo eidem obfundatur, iudicium maximopere corrumpens. Porro cum mens ac corpus arctissimo congiungantur vinculo; consequitur affectus ordinarie cum commotione quædam corporis esse conjunctos. Denique notandum, quod in omni affectu *gradus* observantur, motus nempe primus, approbatio, impetus: incipiunt enim, progrediuntur, & ad summum evehuntur. (f)

§. XX.

Homines variis urgeri affectibus, quotidiana testatur experientia. Cum autem hoc suo modo & a vario corporis temperamento proveniat; de hoc quoque paucis est agendum. De corpore constat, illud non simplex esse, sed compositum. Nempe *sanguis*, a quo ossa, caro, venæ, arteriæ, & reliqua originem

B 2

(f) Dicendum hic etiam de distinctione affectuum in *mentales, sensuales & mere corporales*.

(g)

trahunt, variis constat partibus, variisque qualitatibus. (g) Est enim ille *fluidus, terrestris, pinguis*, adeoque *lympha, terra, ignis* in eo deprehenduntur. Quæ cum inæqualiter mixta sint, ad *energiam*, quæ eminent, ita est respiciendum, ut ab ea parte, quæ virium copia prævalet, tamquam a potiori, temperamentum denominetur. Hinc tria oriuntur temperamenta: *Sanguineum, melancholicum, cholericum. Phlegmaticum* omittimus, cum peculiare, saltem in moralibus, non habeat pondus ac momentum. (h)

§. XXI.

*De ejus
effectu
moralibus.*

Cum vero mens in corpore non solum habitet, velut in quodam quasi domicilio; sed & intimum inter hoc atque illam vinculum intercedat; mirum sane non est, *mentem* & in appetitionibus suis corpori sese accommodare. Neque aliter

(g) Conf. ad hunc paragr. ROBERTI BOYLEE *historiam sanguinis.*

(h) Sunt tamen, qui phlegmaticum vocant temperamentum, quando *lympha, terra, ignis* accurata pæne æqualitate sunt permixta; ita, ut vix, ac ne vix quidem, unius præ reliquis *energiam* liceat animadvertere.

ter res esse potest. Mens enim, intercedente ac sæpe sollicitante corpore, appetens, non potest hoc-uti aliter, quam ejus structura permittit. *Quodsi* itaque corpus terreis partibus prægnans est, atque adeo undiquaque impeditum, nec in mente profecto alius esse motus potest: Hinc metus servilis, sollicitudo, avaritia, exertationes laboriosæ, superstitio, sordities, invidia, crudelitas, desperatio & similia exsurgunt. Porro si pinguedo in sanguine eminet, ad inflammandum aptissima, animum sane spe violenta, ambitione, gravitate, magnificentia larvata, iracundia violenta, immisericordia, constantia obstinata, propensione in labores cum judicio suscipiendos, inclinatione item mox in hypocrisin, mox in atheismum, studio sectæ condendæ repletum deprehendes. *Quodsi* denique lymphæ prævalet, sanguinemque quam fluidissimum reddit, spes vaga ac metus mollis mentem occupant, nec non voluptas, petulantia, luxuria in cibo ac potu, beneficentia dissoluta ac prodigalitas, impatientia cum ira transeunte conjuncta, misericordiæ simulacrum, in-

constantia, superstitio vel atheismus practicus, reliqua.

§. XXII.

De tribus morum temperamentis.

Atque hinc profecto consequitur, tria quoque esse morum quasi temperamenta & motus corporis esse typos motuum animi. Quemadmodum autem tria, de quibus diximus, corporis principia varie miscentur, unumque eminent, alterum propius accedit, tertium est remotius: ita quoque vires appetendi nunc propius, nunc remotius connectuntur. Quare exempli gratia non solum corporis intuitu, melancholico-sanguineos, & sanguineo-cholericos habemus; Sed & mentis respectu avaros-voluptuarios, ambitiose-avaros; voluptuose-ambitiosos. (i)

§. XXIII.

De li-

Quodsi itaque mens, ut demonstravi-

(i) Conf. ad hunc & preced. paragr. DNI THOM. *Prax. Phil. moralis cap. 9. seqq. EIUSD. Fundam. J. N. ac G. L. I. c. III. §. 81. sequ.* Dicendum hic etiam est de causis proximis, ut & mutatione temperamenti: nec non investigandum, utrum de integrorum gentium temperamento certi quid statui possit?

(k)

vimus, temperamentum corporis sequi-^{bertate}
 tur; non nulli forte inde concluderent,^{arbi-}
 omnem adeo menti libertatem deesse,^{trii.}
 atque eandem inevitabili succumbere ne-
 cessitati. Quod ne fiat, ostendendum
 curatius est, quid virium habeant morta-
 les, & quæ ipsis tribui libertas queat.
 Est autem *libertas*, prout omnes fatentur,
potentia faciendi, quod fieri debet. (k)
 Hæc ut intellectum ac voluntatem sup-
 ponit; (b) ita & præterea impedimento-
 rum quorumvis remotionem requirit.
*Impedimenta sunt vel interna, vel exter-
 na: ista ab aliis hominis facultatibus
 proficiscuntur; hæc ab objectis tum gra-
 tis, tum adversis, extra nos positis: quæ*

B 4

omni-

(k) Hæc potentia proprie menti, non volun-
 tati tribuenda cum LOCKIO *de intellectu
 humano Libr. II. cap. 21. §. 14. seqq.* Notan-
 dus hic PETRUS BAILIUS, qui ita passim
 de hominis libertate est philosophatus, ut,
 actiones omnes Deo adscribendas esse, defen-
 dat: castigatus ea propter a non paucis. Di-
 cendum etiam de *fato Stoico*, cujus magni-
 tatem demonstravit JACOBUS THOMA-
 SIUS *de exustione mundi Stoica.* Conf. DA-
 BUDEI *dissert. de erroribus Stoicorum.*

(l) Hinc bruta libertate carere dicuntur.

(12)

omnia vim quandam voluntati inferunt eamque ducunt atque inclinant. *Spon-*te tamen agunt homines. Est autem sponte agere idem, quod voluntatis impulsu agere. Hoc uti non fit sine boni malive representatione; ita tamen dolendum est, homines insigniter decipi apparentibus, adeoque ad noxia sæpissime inclinari, atque unum ambitioni inservientia, alterum voluptati congrua, tertium avaritix convenientia potissimum appetere. Horum itaque nemo liber dici potest, cum suis quisque bonis apparentibus abripiatur. Atque adeo homines vitiis immerfi non quidem inviti (*m*); coacte tamen agunt, libertateque voluntatis destituuntur. Ex quo porro manifestum est, solum virtuti addictum vere esse liberum: quippe qui appetit & agit, quod homo

(*m*) Invitum opponitur spontaneo & voluntario. SCHOLASTICIS invitum aliud per ignorantiam tale dicitur; aliud per violentiam. Verum ignorantia hic proprie non consideratur; sed sufficit, agentem noluisse actionem perpetrare. Parum itaque refert, siue ignorantia siue violentia, cui resistere non valuit, actionis fuerit occasio.

(*n*)

homo secundum divini numinis voluntatem appetere atque agere debet. Sed amissa, proh dolor! est admirabilis illa vis ac potentia (n), qua primum hominem instructum fuisse ratio recta concludit, revelatio confirmat. Hac dote perdita, nata est in homine philantia perniciosa, quam omnium vitiorum scaturiginem ac lethiferum libertatis ac felicitatis impedimentum haud immerito pronunciamus. (o)

§. XXIV.

His ita ex vero adductis, inquirendum porro est, utrum amissa libertas possit restitui? Quod uti non pauci affirmarunt: ita tamen passim dissenserunt, sitne a voluntate, an vero ab intellectu initium emendationis faciendum? Posteriorius

De restitutione libertatis.

B 5

sterius

(n) Dicendum hic, quam sollicite passim Philosophi gentiles in originem hujus mali inquisiverint, quamque insignes ea in re errores fecerint.

(o) Concidit ergo celebris illa ac scholasticis maxime decantata *voluntatis indifferentia*. Perfectum enim voluntatis æquilibrium experientiæ omnino repugnat. Conf. DN. THOMAS. *prax. phil. moral. cap. 15*. It. Dn. GUNDL. *viam ad verit. moralem c. XVIII.*

(p)

sterius veteres Philosophi ad unum fere omnes inculcarunt, (p) sed obliiti experientiz, quæ quotidie docet, homines videre meliora ac probare, sequi tamen deteriora. Hinc itaque ad voluntatem alii sunt prolapsi eiusque correctionem antecedere debere docuerunt. Cum vero & hæc hypothesis sua laboret difficultate, eo, quod ignoti nulla cupido; melius rationes subduxerunt, qui intellectus & voluntatis emendationem non separandam, sed arctissime conjungendam atque adeo etiam una auspiciandam, admonuerunt.

§. XXV.

De mediis huius restitutionis.

Verum nec sic opus est absolutum; cum ostendendum etiam sit, quibus mediis ista emendatio sit perficienda. Atque hic quidem fatemur, *meditationem attentam, cognitionem sui, poenitentiam, desiderium sapientie, irritationis devitationem, labores bene ordinatos, frequens cum virtuti addictis commercium, & quæ sunt*

(p) Notavit inprimis vivide hunc errorem non uno in loco Dn. THOMAS. & post ipsum non pauci alii.

sunt similia, in se quidem non esse contemnenda. Verum nec sic perfecta libertas ac fundamentalis, quam vocant, omnium affectuum emendatio prodibit, sed v. gr. ambitio voluptatem, aut hæc illam, vel utraque avaritiam oppugnabunt, atque sic splendida tantum vitia habemus. Quare evidens est, ad veræ libertatis restitutionem *actuosa Dei gratia* opus esse, atque adeo optima esse eorum consilia, qui *naturam* ac *gratiam* hac in re conjungendam esse, atque, ubi subsistit Philosophus, ibi Theologum incipere debere, solidis argumentis demonstrarunt. (g)

§. XXVI.

Ne autem doctrina, quam de aliqua *De im-* servitute voluntatis hic exposuimus, *putatio-* fundamentum imputationis actionum huma- *ne* narum omnino conculcare videatur, hujus explicatio illi sine dubio hic recte adjungitur. *Fundamentum autem impu-* *tatio-*

(g) Fecit hoc cum aliis DN. THOMAS. in *Praxi Phil. moralis cap. ult.* nec non DN. GUNDL. *libro cit. c. 19. Conf. Dn. BUDDI Theologia moralis.*

tationis moralis genuinum est *spontaneitas*, ut vulgo loquimur; hoc est, ut actio fuerit voluntaria, quippe cujus auctor homo recte pronuntiatur. Quare & iis, qui cupiditatibus obsequiose serviunt, actiones imputantur, quas voluntate impellente perpetrarunt: (r) Nemini contra actio potest imputari, cujus ipse auctor haud potest demonstrari. Auctorem autem actionis dicimus eum, qui vel ut causa physica & moralis unà, vel saltem ut causa moralis ad illam concurrat; hoc est, qui vel ipse sciens ac volens actionem perpetravit; vel voluit, consentit, aut culpa sua effecit, ut actio fuerit suscepta; vel voluntatis impulsu actionem jam perpetratam approbavit. (s)

CAP.

(r) Vid. Dn. THOMAS. *Fundam. J. N. ac G. L. I. c. I. §. 63. 69. 70. Add. c. II. §. 104. seqq. It. c. VII. §. 19. seqq.* Conf. GUNDL. *Jurisprud. natur. cap. IV. §. 15. seqq.*

(s) Dicendum hic de imputatione morborum, ac defectuum, qui sunt in agente; nec non ignorantiae atque erroris, porro deficientis occasionis, ut & coactionis & metus; item rationis impeditae ac somniorum; denique de imputatione eorum, quae plures una perpetrarunt. Conf. PUFEND. *de Offic. H. & C. L. I.*

CAP. II.

DE

NORMA ACTIONVM HUMANARVM IN GENERE.

§. I.

EX iis, quæ præcedente cåpite expo-
 suimus, abunde procul dubio con-
 stabit, valde necessariam homini
 normam esse, non tam propter præstanti-
 am, quam *ob insignem ejus imperfectionem.* (1) Cum enim varia hominum sint
 inclinationes, in mala fere quævis pro-
 nissimæ; non solum suæ quisque felicitati
 male consulere, sed & alios secum in
 perniciem præcipites traheret, nisi sanio-
 re norma actiones in ordinem redige-
 ren-

*De ne-
cessitate
de dis-
versitate
normæ.*

L. I. c. I. §. 17. seqq. Qui tamen hic notandus,
 quod fundamentum imputationis non ac-
 curate exposuit. Inquirendum hic etiam
 est in sententiam TITII, qui *ad cit. §. 17.* ex-
 istimat, nullam reddi rationem posse, cur
 actio voluntaria imputetur, sed hanc verita-
 tem esse indemonstrabilem. Conf. BEYE-
 RI *Belineat. Juris divin. c. 2. pos. 16. seqq.*
 qui triplicem voluntatis ordinem, *motum*
nampe primum, decretum, & conatum, o-
 stendit atque ad imputationem applicavit.

(1) Notandi hic Aristotelici.

(u)

rentur. Quemadmodum autem voluntas vel per vim gratam, vel per minus gratam a deviis in viam rectam ducitur: ita *norma* alia *suadens*, alia *cogens* erit, quarum illam *consilium*, hanc *legem* appellamus. (u)

§. II.

Descriptio legis.

Legis vocabulum in sensu strictiori (x) hic accipimus, atque eo ipso denotamus decretum legitimi imperantis, obligans subjectos, metu in primis poenæ.

§. III.

De effectu legis.

Cujusque legis effectus promiscuus atque ordinarius est *obligatio*. Eum enim præcipue in finem omnes feruntur leges, ubi subjecti illis ipsis obligentur; si vel maxime aliquibus peculiare jus lege expressa concedatur; quippe & hoc casu reliqui tamen obligantur lege, ut illos jure isto quiete frui patiantur, nec ullo mo-

(u) Conf. cit. *Fundam. J. N. & G. L. I. c. IV.*

(x) In latiori significato pro quacumque actionum norma morali accipitur, ita, ut & consilium & pactum complectatur; quæ tamen accurate meditantibus non sunt confundenda. Conf. OBSERVAT. HALLENSES. Tom. VI. *observat. 27.*

(y)

modo usum ejus impediunt. Quid? quod & is, cui jus concessum, obligatur, ne alio, quam præscripto modo, idem usurpet. Interea tamen non refragabor, si quis duplicem legis effectum statuere velit, atque adeo obligationi *juri* (seu facultatem moralem jure aliquid agendi vel habendi) adjungere. (y)

§. IV.

Obligatio proprie dicta, uti a necessitate & coactione curatius est separanda; (z) ita mihi denotat *sensum illum officii, quem divisio*

*Obligatio-
tionis
descri-
ptio ac
quem divisio*

(y) Fecit id Dn. TITIUS in observat. ad Puffendorf de Off. H. & C. cap. 2. Quem secutus est BARBEYRACIUS. Hi itaque de lege tum obligante, tum permittente loquuntur. Ut his itaque satisfiat, lex forte ita commode posset defini: *Lex est decretum legitimi imperantis, subjectos ad quasdam actiones metu pœne obligans, quasdam autem permittens.* Conf. cit. Fund. J. N. ac G. L. I. c. V. §. 3. sequ. Observandum tamen hic est, decretum Principis, quatenus singulare aliquod jus speciatim concedit, proprie non habere naturam legis, sed potius esse concessionem gratiosam. Hinc regula: *Quilibet juri suo potest renunciare.*

(z) Ostendit hoc perspicue PALTHENIUS in differt. de obligatione rei ad sanctionem partialem

quem animus bene institutus ex intellecta norma perspectaque ejus utilitate concipit, atque eo ipso permotus ad hanc sponte actiones componit. Interim tamen usus vulgaris fert, ut & impulsus illum, quo homo, ob poenam metum, ad rationes officii, aliquo modo, vel reluctante intra pectus voluntate, exsequendas disponatur, obligationis nomine indigitemus. Enata hinc est divisio obligationis (1) in *externam* atque *internam*. Porro obligatio (2) est vel *connata*, quae proxime ex legis naturalis dispositione fluit; vel *adventitia*, quae proxime ex pacto, vel lege humana oritur; (3) vel *naturalis*, quae lege naturali iungitur, vel *civilis*, quae legem civilem causam habet proximam; addi denique solet (4) distinctio obligationis in *perfectam*, quae coactionem admittit, atque *imperfectam*, quae coactionem respuit. (a)

§. V.

nalem §. 6. seqq. Notandi hic etiam GROTIUS & PUFEND. aliique, obligationem cum necessitate & coactione confundentes. *Obligatio, in actum deducta, dicitur obsequium.*

(a) Quam tamen recentiores passim rejiciunt. (b)

§. V.

Ex ante dictis consequitur causam obligationis efficientem esse imperantem, in quo ponendæ sunt justæ imperandi causæ, conjunctæ cum viribus sufficientibus cogendi subjectos. (b) Prout autem imperium vel DEO competit, vel hominibus; ita & de justis imperii causis diversimode est statuendum. Ad imperium enim DEI sufficit creatio & conservatio; ad humanum vero utriusque partis, imperantis nempe ac subjectorum, consensus est necessarius, qui totum hic perficit negotium, ob legem divinam, quæ pactorum fidem servare jubet. (c)

C

§. VI.

(b) Quare nec excellentia, nec sola potentia legitimum alicui imperium tribuit. Quæ occasione notandi ARISTOTELICI cum HOBBSIO. Conf. PUFEND. de J. N. & G. L. I. c. 6. §. 9. seqq.

(c) Notandus hic PUFENDORFFIUS, qui rationes, quare quis recte postulare queat, ut ab altero sibi obtemperetur, has esse l. I. de Offic. H. & C. cap. II. §. 5. minus recte affirmat: si ab isto in hunc insignia quædam bona sint profecta; si constitorit, istum & bene huic velle, & rectius, quam iste valet, eisdem prospicere posse; simulque si actu iste hujus directionem sibi vindicet. &c. Beneficia

§. VI

*De sub-
jecto e-
jus.*

Porro ex superioribus quam facillime licet concludere, subjectum obligationis capax solum esse hominem, quippe qui non solum imperio divino est subiectus; sed & humanum subire potest, ac præterea (quod necessario requiritur) intellectu gaudet, ad normam cognoscendam apto, nec non voluntate, quæ spe meruque flectitur.

§. VII

*De fa-
cultate
morali.*

Hæc de obligatione, seu effectu legis primario atque ordinario. Concessi tamen supra eam quoque certo respectu *jus* producere, quod facultatem denotat moralem jure aliquid agendi vel habendi. Qui enim debet aliquid facere vel non prohibetur, is quoque *jus* agendi habet: atque ubi obligatio adest, ibi ab altera parte *jus* quoque apparebit. *Jus* est vel *connatum* vel *acquisitum*. Con-
natum

ficia enim & benevolentia alterius ad gratum quidem animum obligant, non autem ad subjectionem. Et quamvis actu Patronus imperium sibi in me vindicet; me tamen dissentiente, nil isto conatu jure obtinebit. Conf. BARBEYRAC. *ad h. l.*

(d)

natum a DEO cum nativitate oritur, veluti jus libertatis naturalis, jus vitæ conservandæ, reliqua. Acquisitum ex facto hominum proficiscitur, ut imperium, dominium, & quæ sunt generis ejusdem. Distinguitur vulgo jus in *perfectum* atque *imperfectum*; illud denotat facultatem moralem, quæ vel vi adhibita in societate humana potest defendi; ut jus conservandi vitam, integritatem corporis, libertatem, bona &c. Hoc vero ejusmodi facultatem, cujus executio a libera alterius virtute in foro humano pendet, v. gr. facultas poscendi elemosynam, amicitiam & similia.

§. VIII.

Cum vero nemo obligari queat ad ea, *Legis cognitio necessaria.* quæ ignorat, neque etiam jure ignoto frui; non solum legislatoris, sed etiam legis ipsius notitia opus esse, quilibet facile intelligit. (d) Utriusque notitiam, si de lege naturali sermo est, ope rectæ rationis acquirere licet omnibus, quibus curæ

C. 2

ræ

(d) Quare patet, legem ordinarie non posse extendi ad actus, ante ejus promulgationem susceptos; nisi facili negotio possint a subiectis mutari.

(e)

re est hæc res cordique. (e) Leges autem positivæ promulgatione perspicua in subjectorum notitiam sunt deducendæ. Quæ tamen notitia non est confundenda cum consensu subjectorum in legem; quippe qui in omnibus haud requiritur. (f)

§. IX.

De partibus legis.

Ad obtinendum scopum, ante indigitatum, requiritur porro, ut lex sit perfecta. (g) Legis autem perfectæ duæ sunt partes necessariæ: una definitiva, qua disponit imperans, quid sit faciendum, quidve omittendum; altera vindicativa seu sanctio, qua declaratur, quæ maneat pœna legis transgressores. Quodsi forte sanctio diserte legi adjecta non fuerit, tacite tamen eidem semper inhæret. (h)

§. X.

(e) Sufficit itaque hanc cognitionem adesse posse, aut sensum ejus vel semel actu adfuisse. Quodsi enim culpa nostra defecerit, nullam sane excusationem ignorantiz allegare possumus. Conf. PUFEND. de J. N. & G. L. l. c. 6. §. 13.

(f) ID. cit. loco.

(g) ID. cit. cap. §. 14.

(h) Dicendum hic de CUMBERLANDO, qui libro de leg. natural. in prolegom. §. 14. it.

in

§. X.

Legis objectum sunt actiones subjecto- *De obje-*
rum, quatenus earum directio est possibi- *cto legis.*
lis atque utilis. Uti enim vere impossi-
bilium nulla est obligatio : ita quoque
superfluum foret, hominum libertati fre-
num injicere, si nulla inde utilitas redun-
daret.

§. XI.

Leges arbitrariæ (i) quamvis utilitate *De mu-*
se commendaverint, ab imperante ta- *tatione*
men, ceteris paribus, mutari possunt, & *legum.*
quidem varia ratione : vel enim omnino
abrogantur, vel pars tantum tollitur, vel
aliquid adjicitur, vel quidam ab earum
obligatione per dispensationem eximun-
tur. (k)

C 3

§. XII.

in cap. V. §. 40. propositionem premiorum
etiam partem legis constituit. Quæ quidem
est pars utilis legis, quod facile largiar ; sed
non omnino necessaria.

(i) De lege naturali secus est statuendum pro-
ut *cap. sequ.* videbimus.

(k) Dicendum hic de dispensationis differentia
ab interpretatione restrictiva. Conf. PU-
FEND. *de Off. H. & C. cap. II. §. 10.* Qui
tamen æquitatem cum interpretatione re-
strictiva confundit, notatus propterea TI-
TIO.

§. XII.

De qualitate actionum humanarum. A relatione ad legem actiones humanæ certas sortiuntur qualitates ac denominationes. (1) Hinc actiones dicuntur *licite*, quæ legibus permittuntur; vel *necessarie*, quæ legibus præcipiuntur aut prohibentur; porro vel *bonæ*, quæ cum legibus conspirant; vel *malæ*, quæ isti normæ repugnant. Bonæ complectuntur honestas, justas, decoras ac prudentes; malæ vero inhonestas, injustas, indecoras atque imprudentes; de quibus plura inferius in medium proferentur. De actionibus mediis, quas *indifferentes* vulgo vocant, notamus, non paucas quidem, in se spectatas, tales vere esse; sed in applicatione aut bonas reddi aut malas, prout agens aut bonum aut malum habet finem præfixum, bonæ

TIO. *Æquitas autem est dictamen rectæ rationis jubens ita agere, atque ita etiam interpretari, ne quis molestia haud promerita afficiatur.*

(1) Conf. PUFEND. de J. N. & G. Libr. I. c. 7. BEYERI delineat. jur. divini cap. 7. Dicendum hic etiam de Indifferentissimo, quem vocant morali.

(m)

bonæque aut malæ præterea circumstantiæ easdem (m) comitantur.

§. XIII.

Porro hic notandum est, actionum bonarum ac malarum certam quoque dari *De quantitate actionum humanarum.* quantitatem, secundum quam illæ inter se conferri, ac vel æquales, vel inæquales, ratione diversorum, qui in illis apparent, bonitatis vel malitiæ graduum pronuntiarî possunt (n). Oritur autem illa quantitas potissimum a diverso voluntatis influxu; præterea vero etiam a legum diversitate; a conditione subjecti; ab effectu; ab adminiculis vel impedimentis, quæ facilem aut difficilem reddidere actionem; a circumstantia loci & temporis, & quæ sunt generis ejusdem.

§. XIV.

Legem denique intuitu auctoris, in *Legis in* *vinam divi-*

C 4

(m) Neque obstat, quod TITUS observat. 65. ad PUFEND. in fine, objicit, falsam esse hypothesin, juxta quam actionum moralitas non ex lege, sed ex circumstantiis reputatur. Circumstantiæ enim, de quibus loquimur, omnino ad normam legis, nempe ad regulam non solum justitiae, sed & honesti, decori ac prudentiæ sunt exigendæ.

(n) Conf. PUFEND. *ibid.* cap. 8.

(o)

nam ac humana *visam & humanam* dispeſcimus. Humana omnis poſitiva eſt: divina vero in *naturalem ac poſitivam* ſubdividitur. De naturali *cap. ſeq.* agemus. Poſitiva divina vulgo in *uni-verſalem* rurfus ac *particularrem* diſtingvitur: ſine tamen ſolido fundamento, cum univerſalis legum divinarum poſitivarum promulgatio haud poſſit accurate demonſtrari. (o)

§. XV.

Conſilii
deſcri-
ptio.

Dixi ſupra, normam actionum humanarum aliam eſſe cogentem ſeu legem, aliam ſuadentem ſeu conſilium. De lege, pro inſtituti ratione, hic ſatis egi. Nunc itaque pauca de conſilio ſunt adjicienda. Conſilium autem mihi eſt *manitum, quo quis alterum ad actiones vel omittendas vel perpetrandas, amice, atque omni violentia remota, permoveere intendit, petitis ab utilitate ejus, cui conſulitur, argumentis.*

§. XVI.

Diff-

Differt conſilium a lege ſtrictè dicta: il-
lius

(o) Conf. OBSERVAT. HALENS. *Select. Tom. VI. obſerv. 27. §. 43. ſeqq.* Profeſſus quoque eſt hanc veritatem Dn. BUDDEUS *in Theol. moral. Parte II. cap. I. §. 9. ſeqq.* (p)

lius enim *fundamentum* amor est atque a-
 micitia; hujus vero imperium. Illud in-
 ter *eguales* locum habet, aut si a superi-
 ore proficiscitur vel admittitur, animum
 ejus certa ratione ad æqualitatem oportet
 esse compositum; Hæc vero inter
imperantes & subiectos, qua tales, usur-
 patur: Illud semper tantum *obligationem*
internam producit; de lege autem *secus*
 est pronunciandum; Illud *volenti* datur;
 hæc etiam *invitis* potest obtrudi.

remia
 ejusdem
 a lege.

§. XVII.

Quæ cum ita sint, fatendum simul est,
 admodum quoque Imperantem & legis-
 latorem distare a Doctore & Consiliario,
 atque ex distinctorum utriusque officii-
 orum confusione multum posse mali in
 societatem humanam redundare. (p)

Item
 Imper-
 rantis
 & do-
 ctoris.

(p) Notandum hic est Fundamentum Papæ
 Politici.

CAPVT III.

DE JURE NATVRÆ AC GEN-
TIVM SPECIATIM, NEC NON DE
REGVLIS IVSTI, HONESTI, DECO-
RI, AC PRVDENTIÆ, EARVMQVE OB-
LIGATIONE.

§. I.

*Equi-
vocatio
vocabu-
li juris
collitur.*

Vocabulum juris varios admittere si-
gnificatus, id quidem vix aliquem, vel
levi eruditione tinctum, latere existimo.
Potissimum vero id ipsum accipitur vel
pro norma actionum, quæ lex audit; vel
pro facultate morali, juxta aliquid haben-
di vel agendi. (q) Nobis hic imprimis
prior significatus curæ est cordique. (r)

§. II.

*Legis
natura-*

Jus naturæ pro lege acceptum, si lati-
torem ejus ambitum consideraveris, (s)
est

(q) Secundum statum Groti vel *pro lege*, vel
pro attributo persone.

(r) Alterum significatum explicui capite præ-
cedenti.

(s) In sensu strictiori atque angustiori solas
justi regulas complectitur. Quo significa-
tu jus naturæ est *decretum summi Numinis*,
opere recte rationis cognoscendum, obligans
omnes homines ad pacem externam cum aliis
colen-

est decretum summi numinis, ope rectæ lis de-
 rationis cognoscendum, obligans omnes or-
 mino homines, ut honeste, juste, decore ac
 prudenter vitam transigant ad felicitatem
 hujus seculi consequendam. (t)

§. III.

Ejusmodi autem normam universalem *Certitu-
 re vera existere, ope rectæ rationis, (f. do ejus.*
 tranquillæ ratiocinationis) facile cogno-
 scimus. Hæc enim docet, Deum velle
 serio humani generis felicitatem: quæ
 vero cum sine norma quadam universali,
 ad captum omnium hominum, ratioci-

colendam. Jus autem naturæ late accet-
 ptum integram Philosophiam practicam
 complectitur. Vid. DN. THOMAS. *Fund.*
J. N. ac G. C. 5. Item TITII *Prolegom. ad*
Pufend. de Off. H. & C. §. 9. Add. DN.
 GUNDL. *Jurisprud. nat. Cap. I. §. 18. seq.*
 qui legem naturalem cum aliis in *absolutam*
 & *hypotheticam* distinguit: ita ut illam di-
 cat intendere felicitatem perfectam; hanc
 vero ad externam tantum quietem conser-
 vandam pertinere.

(t) Dicendum hic de imperfectione definitio-
 nis TRIBONIANI §. 1. *J. de J. N. G. & C.*
 nec non GROTII *de J. B. & P. l. I. 10. 7.*
 Conf. PUFEND. *de J. N. ac G. II. III.* Add.
 GUNDLINGIANA *Part. XV. obs. HL.*

(u)

nationis facultate pollentium, attemperta, obtineri omnino nequeat; hinc certo concludimus, DEUM, qui voluit finem, non potuisse non medium ad hunc finem maximopere necessarium in medio quasi collocare, sedula cura ab hominibus indagandum. (u) Ac profecto, quid in genere justum vel injustum, honestum aut turpe sit; item quid prudentiæ conveniat, vel misius; recta ratio tam perspicue demonstrat, ut jurisprudentia naturalis merito inde scientiæ, & quidem practicæ, nomine insigniatur. Quodsi vero in specialioribus quæstionibus dubia quædam occurrunt, id hominum accidit vitio, qui vel principiis lubricis aut minus sufficientibus utuntur, vel ex certis ac late satis patentibus principiis universalibus conclusiones minus caute derivant, nec

(u) Concidunt ergo commenta eorum, qui jus naturæ stultitiæ nomine infamarunt: quod pars EPICUREORUM fecit. Dicendum speciatim de CARNEADE, Conf. GROTI. *Prolegom.* §. 5. *seqq.* it. PUFEND. *cit. loco* §. 10. 11. Notandus hic etiam HOBBSIUS, qui justitiam atque injustitiam actionum humanarum a legibus civilibus c. l. §. 7. *de cive*, atque aliis in locis derivat.

nec in applicatione legum accuratam habent rationem eorum, quæ negotium circumstant. (x)

§. IV.

Ex ante dictis patet, auctorem legis naturalis ipsum DEUM esse, supremum totius humani generis rectorem: quippe qui ut conditor ac conservator omnium mortalium, solus universali in illos pollet imperio & potestate legislatoria; ad quam ipsi, ut ex dictis patet, justissimæ sunt causæ; quibus potentia accedit omnino infinita, male moratos vel acutissimis poenis coercendi. (y)

§. V.

Præterea ex dictis concludimus, non dari moralitatem, quam vocant, actionum humanarum. *De moralitate objectiva.*

(x) Maximopere itaque deceptus fuit GROTIUS, qui cum ARISTOTELE animum induxit, ut in moralibus non æque ac in mathematicis disciplinis certitudinem inveniri crediderit, *Lib. II. de J. B. ac P. cap. 23. §. 1.* Quem ex instituto refutavit PUFEND. *de J. N. ac G. Libr. I. c. II. Conf. BARBEYR. in Praefat. ad Pufend. J. N. & G. §. 1. seqq.*

(y) Dicendum hic de questione, quam GROTIUS defendit, *utrum jus natura obliget, etiamsi statuamus, non dari DEUM.*

(z) Di-

humanarum antecedenter ante voluntatem divinam. (z) Quemadmodum enim universalis moralitas non sine lege universalis esse potest; ita nec hanc ante voluntatem divinam sine stupenda contradictione licet animo concipere.

§. VI.

*De differentia
juris
nat. a
positivo.*

Interea tamen non negamus, ea, quæ jure naturæ præcepta sunt vel prohibita, intimè habere nexum cum natura hominis rationali. Hoc enim tam verum est, quam quod verissimum. Quare etiam jus naturæ ope rectæ rationis cognoscendum, cordibusque hominum inscriptum dicimus. Quæ verba cum aliis argumentis etiam differentiam, quæ inter jus naturæ ac positivum intercedit, ostendunt. (I) Jus naturæ enim pro *objecto* habet actiones cum vera hominis felicitate necessario, ex voluntate DEI, convenientes, aut eidem repu-

(z) Dicitur hæc moralitas etiam objectiva, atque ab objecto sese diffundere in præceptum: qui SCHOLASTICORUM sunt flosculi, GROTIUS non solum probati; sed nuper etiam viro celeberrimo HOCHSTETTERO in Collegio Pufendorf. Exercit. IV. §. 25. Sed cont. de his Dn. THOMAS S. Jurispr. div. L. I. C. II. §. 74. seqq.
(a) Ad-

repugnantes; positivum autem jus, quod tale, de actionibus mediis disponit. (II) Alterum discrimen a medio cognoscendi recte deducitur: hoc enim in lege naturali est recta ratio, (s. potentia tranquille ratiocinandi;) (a) in lege autem positiva, si-ve divina, si-ve humana fuerit, solenni opus est legis promulgatione. Porro (III) & ratione modi obligandi differunt: jus naturæ enim non solum ob universale DEÏ imperium, sed & ob intimum nexum cum universali hominum felicitate, atque ob universalem ratiocinandi potentiam, qua Deus mortalium genus instruxit, omnes in universum homines obligat; jus vero positivum, tam divinum quam humanum singularem tantum obligationem producit. Denique (IV) legum positivarum hæc est natura, ut *mutationem* admittant: jus

(a) Adest homini hæc potentia cum ipsa nati- vitate: actus autem se demum exferit post culturam intellectus in societate institutam. Quare nugas Scholasticorum rejicimus, qui ipsis etiam infantibus prima juris naturæ principia jam per modum habitus inesse docuerunt. Vid. cit. cap. Jurispr. divina §. 67. Seqq.

(b) Du-

ius naturæ autem, pro lege acceptum, ne quidem a DEO mutari posse constat, ob intimum, quem cum vera hominum felicitate habet, nexum; quam cum supremum nomen serio cupiat, non potest simul opposita velle, quæ illam destruunt, hominesque adeo reddunt infelicissimos. (b)

§. VII.

*De fine
legis
nat.*

Finis legis naturalis, quem in ipsa definitione jam indicavi, est *felicitas humani generis.* (c) Cum autem hæc in felicitatem hujus vitæ, nec non futuræ distinguitur; notandum est, nobis hic sermonem esse de felicitate *hujus vitæ.* Æternam enim felicitatem ope legis naturalis adsequi non licet; quippe ad quam alia via est accedendum. (d) Felicitas, de qua loquimur,

(b) Dubia quæ in hac quæstione ex sacris litteris moveri solent, recta interpretatione adhibita, solvi facile possunt.

(c) Loquimur hic de fine proximo. Ergo non excludimus divini numinis gloriam. Hæc enim finem ultimum constituit, atque eo ipso promovetur, quod ad normam ab ipso præscriptam actiones componimus & veri boni fructus ferimus uberrimos.

(d) Nobis quidem ex de re nullum superesse dubium potest, quippe revelationis lumine col-

mur, vel interna est, vel externa: *interna* potissimum, in tranquillitate animi consistit; corporis tamen sanitate, (quæ ad Medicorûm propriè scholam pertinet,) non omnino exclusa: *externa* partim pace, partim amicitia, cum aliis colenda, absolvitur; accedit sufficientia rerum ad victum & arctum necessariorum.

§. VIII.

Summa itaque juris naturæ, seu propositio fundamentalis (quam primum vulgo principium vocamus) hæc est: *Fac ea, que ad verum humani generis felicitatem conducunt, Evitæ opposita.* Quod principium & verum est, & evidens & adæquatum. (e)

De primo J. N. principio.

§. IX.

Ut autem finem istum assequamur, *U*surpanda sunt media ad eundem necessaria.

De regulis justis honestis

D ria.

collustratis. Hac autem destituti gentiles, quotquot eorum de immortalitate animæ fuere persuasi, non potuerunt non sperare, fore, ut & post hanc vitam, vi tutius felicitatis præmium DEO statuatur.

(e) Loquimur hic de principio *cognoscendi*. Principium *essendi*, quod vocant, est voluntas divina. Conf. sæpe cit. *fund. J. N. §. G. L. I. C. VI.*

*dec. ac
prud.*

ria. Nempe opus hic est vica iusta, honesta, decora ac prudente. Quare ex generalissimo, quod posuimus, juris naturae principio, quatuor alia, secundo-prima, per modum conclusionis proxime consequuntur. 1. *Vive iuste*, h. e. ita actiones tuas dirige, ne ullius jura violes: sic enim pacem & tranquillitatem cum aliis conservabis. 2. *Vive honeste*; h. e. impera ad affectibus, ut tranquillitate animi fruaris, atque sic amore rationali tum summi numinis, tum tui ipsius, tum aliorum hominum, replearis. 3. *Vive decore* (f) h. e. fac, ut amor rationalis, quem pectore alis, verbis, gestu, opere decenter se exlerat, ut amicitiam aliorum concilies. 4. *Vive prudenter*; h. e. cave offendicula, tum grata, tum adversa, quae viam sapientiae maximopere reddunt impeditam. (g)

§. X.

(f) Intelligimus hic decorum naturale, quod fundamentum esse debet decori civilis. Dicendum hic etiam de neglectu decori, quo CYNICI imprimis laborarunt. De quibus vide LAERTIUM *libr. VI.* It. BARBEYRACIUM *in Praefat. ad versionem Pufend. de J. N. ac G. §. 21.* Conf. Dn. THOMASII *Scavol. circa praecogn. jurispr. cap. XV.*

(g) Nota hic sapientiam & prudentiam concepti-

§. X.

Ut autem quis de obligatione legis naturalis principiorumque hic positorum certus evadat; sequentia sunt observanda. In præcedentibus jam demonstravimus, DEUM esse auctorem legis naturalis; eisdemque universale in mortales imperium, ob creationem & conservationem, esse tribuendum. Cum itaque DEUS verata humani generis felicitatem serio velit, nec possit non velle, quippe infinita pollens felicitate, consequitur, hominibus, ab ipsius voluntate pendentibus, eandem quoque enixe esse appetendam. Qui autem vult finem, is etiam vult media ad finem necessaria. Quare & manifestum est, Deum pariter genus humanum ad regulas ante explicatas adstrinxisse.

§. XI.

Quamvis autem facile liceat colligere, *Ratio*

D 2

DEUM

ceptibus esse distinguendis, quamvis in applicatione non sint separanda. Sapientia proprie consistit in propensione in bonum; prudentia in cautione mali, quod bonum potest impedire. Hinc etiam patet, prudentiam quam honestissime distare ab astutia; cum hæc a bono vacua sit, malumque habeat finem præfixum. Germani recte rem enunciant. *Urge List ist keine Klugheit.*

*obligandi di-
versa.*

DEum sine discrimine velle, ut ad has regulas actiones componamus; rationem tamen obligandi in illis diversam, intuitu societatis humanae, aequae facile est demonstrare. Nempe regula iusti eodem modo obligat, ut, qui in eam impingit pacemque externam, aliorum turbando iura, violat, vel vi adhibita coerceri inque ordinem redigi queat. Communis enim securitas societati humanae admodum est necessaria, quippe qua deficiente hanc operiretur cum summa confligere calamitate. Quid? quod eadem & vi prudenter applicata a turbatorum malitia potest defendi. Quod si igitur semiori via non potest conservari; violenta remedia iuste in subsidium poterunt vocari. De regulis autem honesti, decori ac prudentiae secus est pronunciandum. Amorem enim atque amicitiam, quam honesti ac decori regula commendat, nec non solidam prudentiam, furca, gladio, aliisque generis ejusdem instrumentis nemo inculcabit. Quod si itaque quisquam talia adversus inhonestum, indecorum ac minus prudentem usurpare, vel suadere vellet; is profecto contra torrentem navigaret, oleum-

leuinque perderet atque operam imprudentilimus.

§. XII.

Quemadmodum autem legem naturalem demonstravimus esse universalem : ita quoque certum est, eam non singulos tantum homines obligare, sed & gentes universas; quippe quibus pariter, neglecta hac norma, non licet esse beatis. Legem autem naturalem, integris gentibus applicatam, juris gentium nomine indigitamus. Neque ullum aliud gentium jus, quod legis proprie dictæ, liberæ gentes obligantis, naturam habeat, agnoscimus. Hæ enim inter se consideratæ uti communem superiorem, præter Deum, non venerantur; ita nulli quoque legi communi, nisi naturali, perpetuo possunt esse subiecta. Quare solido fundamento destituntur, quæ de peculiari jure gentium à non paucis in medium fuere prolata. (b)

D 3

Quodsi

(b) ROT. de jure belli ac pac. non unq loco. Qui & jus gentium in universale & particulare distinguit. Quem sequitur RACHELIUS diff. de jur. gent. MEVIUS in prodromo jurisprud. KULPISIUS in Collegio Grot. ad C. I. L. I. thes. g. alique plures. Con-

Quod si quis mores gentium isto nomine compellare velit; in verbis quidem faciles esse possumus; modo in re conveniamus; nempe mores istos legis proprie dictae naturam non habere. (i) Neque jus civile plurium gentium uniforme juris gentium proprie dicti rationem potest habere.

CAP. IV.

DE VIRTUTE AC VITIO.

§. I.

Comme-
nt.

Qui ad normam legis naturalis actiones componit, virtutibus excellit, Deo-

Contrarium recte defenderunt PUFENDORFFIUS *de J. N. & G. L. H. C. III. §. 23.* ibique BARBEYRACIUS; Dn. THOMASIIUS *in jurispr. div. L. I. C. II. §. 103. seqq.* It. *in fund. J. N. ac G. L. I. C. V. §. 65. seqq.* alique.

(i) Qua occasione notanda vulgaris distinctio inter gentes moratiores & barbaras, GROTIUS *de J. B. ac P. L. I. C. I. §. 12.* probata; melius autem rejecta Dn. THOMASIO *in jurispr. div. L. I. C. III. §. 52.* nec non *diff. de bon. propr. §. 39.* item *in fund. J. N. & G. L. I. C. V. §. 71. seqq.* Ubi quoque in editione novissima respondit HEUMANNO, qui *part. 8. astorum philosoph. C. 2.* nonnulla objecit. (a)

Deoque est acceptus. Contra vero, qui normam istam affectibus oecocatus negligit atque contemnit, vitiosus merito audit, nec potest non Deo displicere.

§. II.

Est autem virtus, in sensu morali (a) accepta, constans animi propensio, ad normam voluntatis diuinae ueram sectandi felicitatem. (b) Quam propensionem & amoris rationalis nomine poteris enunciare.

*Virtutis
descri-
ptio.*

§. III.

Primariae virtutes mihi sunt sapientia ac prudentia. (c) Quarum illa complectitur 1) *studium pacis externae* cum aliis colendae, seu virtutem neminem laedendi, quam iusticiam proprie appellamus; 2) *studium pacis internae* seu honestatem internam; 3) *studium amicitiae* cum aliis in-

*De vir-
tutibus
prima-
riis: 1)
sapien-
tia.*

D. 4

com-

(a) Significatus enim vocabuli physicus non est hujus loci.

(b) Notandi hic ARISTOTELICI, qui primariam virtutis rationem in mediocritate collocarunt.

(c) Utriusque descriptionem vide cap. praeced. §. 9. lit. (g) Prolixum omnium virtutum specialium nomenclatorem hic omitto; quem passim in Ethicis vulgaribus deprehendere licet.

(d)

commune bonum stabilienda; seu honestatem externam, quæ & decorum audit.

§. IV.

2) *Prudentia.* Ut autem regulæ sapientiæ recte applicentur, atque offenticula varia, quæ sapientiæ viam reddunt impeditam, caute devitentur, comite opus est prudentia; quæ complectitur. (1) prudentem deliberationem (2) prudens animi propositum; (3) prudentem consiliorum executionem. (d)

§. V.

De deliberatione. In deliberatione ante omnia circumspicte expendendus est actionum *finis*; deinde iusta sciscitanda *media*; postea detegenda ac ponderanda sunt *impedimenta*; denique cogitandum, *quæ ratione integrum negotium quam commodissime sit perficiendum.*

§. VI.

De proposito. Maturam deliberationem prudens excipit animi propositum, quod his requisitis debet esse munitum: ne quis nimis sit *præceptis* ad consilia capienda; neque contra nimiam indulgeat *cunctationi*; & ut in bene cœptis consiliis ea, quæ decet, animi *constantia* persistat.

§. VII

(d) Conf. Dn. THOMAS. *prudent. Consult.*

§. VII.

Denique sequi debet prudens consilio- *De exe-*
rum executio. Quare homo prudens *cutione.*
commodam eligit agendi *occafionem*; o-
ptimum potro, quem circumstantiæ requi-
runt, *ordinem* seruat; rectum præterea
tenet *modum*, ut nimius tum impetus, tum
torpor absit; denique constantem in a-
gendo *diligentiam* adhibet, donec exopta-
tam liceat metam contingere.

§. VIII.

His de virtute expositis, vitii naturam *De vi-*
non difficile est explicare. Est e- *tio.*
nim vitium, pro attributo personæ acce-
ptum, (e) *propensio*, *divinam veræ felici-*
tatis normam, de qua dictum est, *negligen-*
di, adeoque *felicitatem querendi in infeli-*
citatem. Quam propensionem & amoris ir-
rationalis vocabulo poteris appellare.

§. IX.

Quæ quidem agendi ratio summa est *De stul-*
stultitiâ, atque adeo vitium & stultitiâ in *titiâ.*
sensu practico accepta sunt synonyma. In-

D 5

terim

(e) Quando de actionibus prædicatur, vitio-
sam dicimus actionem, quæ a norma desle-
ctit. Quemadmodum virtuosa audit, quæ
ad normam est composita.

(f)

teriam tamen stultitiam, ut oppositum sapientia speciatim consideratam describere possumus per *proclivitatem in mala*: quæ *propter sionem iniuste, inhoneste, atque indecore agendi* compl. Etitur.

§. X.

De imprudentia.

Imprudencia quidem etiam generalis est affectio stultorum; quippe qui tui sunt insipientes, ita & vera carent prudentia. Quo significatu *ex calliditate* seu astutiam ambitu suo tenet: quæ est *falsa stultorum prudentia, inveniendi & eligendi media, ad finem, quamvis malum, perducuntia*; ut stultæ ipsorum actiones effectum consequantur; aliorum vero, maxime sapientum, actiones & commoda impediuntur. Sæpe tamen imprudentia a *calliditate* distinguitur ac *stupiditatem* denotat: quæ est *defectus omnis prudentie, media ac finem suum apte eligendi, ac etiam aliorum actiones callidis consiliis impediendi.* (f).

§. XI.

(f) Quare & stulti, qui stupiditate laborant, in alios aperta violentia insurgunt. Conf. Dn. THOMAS. cit. prud. consult. C. I. §. 27. seqq.

(g)

§. XI.

Cavendum vero maximopere est, ne cum non paucis aliis decipiamur, ut virtutum simulacra pro virtutibus ipsis accipiamus; aut veras virtutes, flocci vulgo factas, vitiorum numero censeamus.

(g) Sæpe enim contingit, ut *passioni*, quam vocant, *dominanti* homines stulti *virtutis elogium tribuant*, atque adeo animi mollitiem, quæ in voluptuoso deprehenditur, mox singularem gratiam, mox patientiam ac mansuetudinem, mox misericordiam; sorditiem avari parsimoniam; audaciam denique atambitiosi fortitudinem compellare non vereantur. Non pauci quoque *bonæ intentionis*, itemque *sanctitatis larva* tegunt vitia, ac pro virtutibus venditant. Sæpe contra etiam accidit, ut *vera virtus passionis dominantis effectus*, aut mera *hypocrisis & simulatio* perperam censeatur.

ma

(g) Rem hanc illustrat ERASMI *encomium moria*. it. CROUSAZIUS in *Tract. Gallico 1718*. edito, quem inscripsit: *Nouvelles maximes sur l'education des enfans*. Conf. FLECHIER, *de la fausseté des vertues humaines*.

(h)

ma sapienti eo cautiussunt vitanda, quo
 majora inde mala, tum in singulos homi-
 nes, tum in societatem humanam redun-
 dant.

§. XII.

De vir-
 tutis
 premi-
 is.

Ad virtutem constanter sectandam ho-
 mo excitari admodum potest meditatione
 præmiõrum, quæ hanc solent comitari.
 Quamvis enim genuinum veræ virtutis
fundamentum sit summi numinis voluntas;
 hæc tamen cum non possit non, ut supra
 demonstravimus, (b) humani generis fe-
 licitatem intendere; ecce, quæso, para-
 tissimum virtutis præmium, veram nempe
hujus vitæ felicitatem. Virtuti enim ad-
 dictus dulcissima lætissimaque frui potest
 animi tranquillitate, sanitate ac vita ex
 voluntate DEi diuturna; sufficientia in
 iis, quæ ad victum & amictum sunt ne-
 cessaria; verò honore, amicitia aliorum
 hominum; denique quod maximum est,
 ipsius DEi amicitia, qui fons est omnis
 felicitatis abundantissimus. (i)

§. XIII.

(b) cap. præced. §. 7. & 10.

(i) Ne autem forte, quæ de animi voluptate,
 honore ac sufficientia, virtutum præmiis hic
 dicuntur, nonnullis carnalia videantur axio-
 mata;

§. XIII.

Contra quoque a vitiis hominem non parum abstergere possunt poenæ, quæ hæc non possunt non manere. Cum enim DEUS æque sit justissimus ac potentissimus, fieri aliter nequit, quam ut mala malis compenset. (k) Quare vitia, DEO sapientissime disponente, conscientia angorem, animumque adeo minus tranquillum; indignationem, quando cupiditibus satis non potest fieri; nauseam vero, his quam abundantissime satiatis: porro dolores, morbos, debilitatem corporis, vitæque adeo aut violentam, aut lentiore correptionem; inopiam in ipsis etiam divitiarum cumulis; dedecus atque ignomi-

De pænis vitiatorum.

mata; in horum gratiam dicta ex revelatione hic sine dubio licebit confirmare. Vid. itaque PROVERB. VIII. It. I. TIM. IV. 8.

(k) Recte tamen rationes subducunt, qui hoc DEI opus alienum pronunciant. Nec quidem quam obstat, quo minus Deum in ipsa multorum malorum inflictione non malum, quod angit, sed bonum semper ac felicitatem intendere dicamus; cum sit summe bonus ac felicissimus. Ceterum observandum hic simul est, pœnas divinas vel naturales esse, vel arbitrarías. Ille sunt mala, natu-

miniam; odia atque inimicitiam aliorum hominum; denique, quæ summa est calamitas, ipsius summi numinis indignationem ac vindictam sui cultoribus accelerant, eosque adeo, quamvis aliquam futuræ felicitatis speciem præ se ferant, reddunt infelicissimos.

§. XIV.

Transitus a vitiis ad virtutem jucundior demonstrandus.

Quæ cum ita sint, manifestum simul est, transitum a vitiis ad virtutem faciliorem acceptioremque vitiosis reddi posse, si amenitates & commoda virtutum vivide exponamus; nec non vitiorum contraferditatem calamitatemque ad vivum depingamus.

Quamvis enim fundamentum debeat esse voluntas summi numinis; ostendendum tamen simul est, Deum non agere Despotam, aut Tyrannum, sed Legislatorem, paterno subjectos amore perfectissime complectentem; eumque hæc velle, illa prohibere, non ut ægre hominibus faciat, sed ut eos sistat felicissimos. (1) Quamvis porro adversitates, quæ viciam

naturali nexu, Deo providente, ex vitiis profluentia: hæc sunt, mala, ejusmodi nexu carentia, quibus tamen Deus vitia coercere potest.

(1) Qua occasione questio controversa hic expli-

viam virtutis primo præsertim transitu reddunt impeditam, non sint omnino reticendæ, aut fucò obducendæ; omittendum tamen non est, sed statim addendum, adversitates istas multo esse inferiores commodis ac jucunditatibus, quæ in via virtutis progredientibus percipere licet abundantissime. (m)

§. XV.

Denique cum sæpissime usurpetur distinctio inter id, quod juris est, & quod virtutis; de utriusque differentia hic paucis dicendum est. Nempe homo aut obligatus est ex regulis justis (v. gr. ad solvendum

*De distinc-
ser. ju-
ris &
virtu-
tis.*

23

explicanda: utrum lex naturalis habeat naturam legis proprie dictæ; an potius ad consilii naturam propius accedat? De qua vid. OBSERVAT. HALENS. SELECT. T. VI. Obs. 27. Cui peculiarem dissertationem de questione: an leges natura sint proprie & stricte dictæ leges? Gryphiswaldia, 1704. sub præsidio Professoris PALTHENII, opposuit M. FRID. GENZKE. Coni. Dni THOMAS. fund. J. N. ac G. cap. proæmii § 8 seqq. It. L. I. C. V. §. 34. seqq. Add. Dn. BUDDI theol. moral. P. II. C. I. §. 3. seqq. It. Dn. GUNDLINGII jurispr. natural. C. I. §. 26. seqq.

(m) Dicendum hic de bivio Herculis.

(n)

as alienum a se contractum,) ita, ut vel vi adhibita, ad præstandum, quod debet, adigi queat; tunc juris id esse dicimus, ut unus solvat, alter facultate cogendi in subsidium gaudeat. Quando autem quis ex regulis honesti, decori ac prudentiæ obligatus est ad hoc faciendum, illud omittendum; (v. gr. ad dandum elemosinas, ad fugiendum otium, ad vitandas lites &c.) tunc obligationem ejus dicimus esse virtutis. (n)

CAP. V.

DE DIVERSO HOMINVM
STATV.

§. I.

Conne-
xio.

Legem naturalem normam esse universalem, ante demonstravimus, ad quam cunctis mortalium actiones sint componendæ. Cum autem specialia, quæ in jûrisprudencia naturali explicantur, officia ac jura status diversitatem supponant; doctrina de statu hominum hic est explicanda.

§. II.

(n) Nempe in sensu stricto atque excellentiori acceptæ; qualis actioni externæ non est subjecta. (o)

§. II.

Status hic denotat *conditionem* hominum, in qua certis iuribus fruuntur. Habent autem homines diversam conditionem, seu formam, vel a Deo cum ipsa nativitate, vel factō suo eam induerunt. Unde status est vel *naturalis*, vel *adventitious*. A nativitate homines habent, ut sint mares vel foeminae; nati vel nascituri; (o) item, ut sint aequales ratione libertatis & communis rerum usus.

*Status
descri-
ptio ac
divisio.*

§. III.

Status naturalis absolute consideratus, De statu atque ab omni adventicio separatus, est *status perfecta libertatis* (p) atque *aequalitatis*.

*De statu
naturali
absoluto.*

E

tis,

(o) Marium ac foeminarum distinctio in iurisprudentia naturali usum vix habet; cum jura atque officia utrimque sint eadem. Altera vero distinctio a quaestione praediciali pendet, an nascituri jam sint homines? quam improvide negarunt STOICI. Observandum interim est, nascituris nec jura posse tribui, ex principiis juris naturalis, nec iungi obligationes.

(p) *Non licentia.* Homines quippe liberi ad normam tamen legis naturalis actiones suas debent componere. Status autem absolute libertatis & aequalitatis post lapsum non existit. Fictio enim PUFENDORFFII de O.
H.

is, ita ut distincta non minus dominia, quam imperia absint; quippe quæ factam humanum supponunt. (q) Homines enim non nati primum sunt rerum distinctarum domini, nec conjuges, nec patres-familiarum, nec heri; sed facti sunt tales, jam ante conditas civitates, quæ tandem imperantes civiles produxerunt. (r)

§. IV.

De statu
naturali hypo-
thetico.

Statui naturali absoluto opponimus statum naturalem hypotheticum, qui non omnem quidem inæqualitatem respuit; *excludit tamen subjectionem civilem*, atque adeo etiam opponitur statui civili. In illo quondam *segreges familiae* ante conditas civitates vixerunt. Hodie in eo constitutæ sunt *gentes diversæ*, a communi imperio civili immunes, adeoque *liberæ*; cetera quoque *intuitu juris æquales*, nisi pacto

H. & C. Libr. II. c. I. §. 6. nullius videtur momenti.

(q) De domini atque imperii origine plenius infra, in parte speciali, dicetur.

(r) Mera itaque sunt somnia, quæ de inæqualitate, & in statu integritatis servata, statuit ALBERTI in *Compendio juris Nat. Theol. orthod. conform.* refutatus Dn. THOMASIO in *jurisprud. divina* L. I. C. II. §. 29. seqq.

(s)

paçto aliquam jurium inæqualitatem in-
troduserint. (s)

§. V.

Quibus ita expositis, consequitur; si *Modus litigan- di in statu naturali.* controversia inter eos, qui in statu natu-
rali degunt, oriantur, neminem pro impe-
rio litem decidere posse; sed cuique libe-
ram esse facultatem, sibi ipsi jus dicendi,
armaque in subsidium vocandi. Quod si
autem violentia non placuerit, ad *arbi- tros* possunt *puro* (t) *compromisso* provoca-
re. (u) Quales arbitri veri sunt iudices,
conventionem partium electi, atque adeo &
ordine judiciario procedunt sententiam-
que post accuratam causæ cognitionem
pronunciant. Neque ullum est dubium,
quin & *de possessione* judicare queant. (x)

E 2

Ali-

(r) Qua occasione notandum fundamentum
juris, ut vocant, præcedentiæ inter liberas
respublicas earumque imperantes.

(t) Ita, ne vis sententiæ ab arbitrio compro-
mittentium suspendatur.

(u) Conf. PUFEND *de O. H. ac C. libr. II. c.*
l. §. 10. It. WILLENBERGII *diff. de arbi-
tris & Mediatoribus belligerantium. Gedani*
1706. habita.

(x) GROTIUS quidem *L. III. C. XX. §. 43.*
de J. B. & P. existimavit, *arbitros, lectos a*
popu-

Aliquando etiam sine ordine judiciario communi amicorum, quos arbitratore ac *mediatores* vocant, interpositione tolluntur. *Executio* autem eorum, quae iuste decreta sunt, in hoc statu, aut a partium, aut ab arbitrorum arbitratorumve potestate pendeat. Quorum postremis autem, quippe qui per modum tantum consilii ordinarie agere possunt, vim eum in finem adhibere vix licebit; nisi ex federe, aut alia iusta ratione, alterutrius partes tueri teneantur.

§. VI.

Status naturalis minus securus.

Quamvis autem libertatis atque aequalitatis nomine status naturalis non parum homini blandiatur; negari tamen non potest, cum sua quoque laborare molestia

populis aut summis potestatibus, de possessione non pronuntiare debere; cum possessoria judicia sint juris civilis, iureque gentium possidendi ius dominium sequatur. Verum saepe belli vitandi gratia opus est, ut de possessione primum pronuntietur, atque eadem uni interim tribuatur, donec causa principalis possit plenissime cognosci. Neque iudicium possessorium, absolute consideratum, solius juris civilis cancellis potest includi. Conf. LIEGLERUS ad citatum Grotii locum.

(2)

stia. *Ex intentione quidem summi numi-
nis status naturalis debet esse socialis ac
pacificus*, non bellicosus. (y) Quoni-
am autem homines, ut sunt natura, liber-
tate facile abutuntur, ad aliorum jura op-
primenda; hinc vitio eorum, non ipsius
status, admodum imperfecta redditur in
statu libertatis securitas, & contra bello-
rum turbæ sunt frequentissimæ.

§. VII.

Huic hominum malitiæ in statu civili i- *Statu*
ta obviam ire possunt imperantes, ut vi *civilis*
civilis imperii pacis turbatores in ordinem *secu-*
redigantur, alique ab injuriis promptissime *rior.*
defendantur, atque sic communis secu-
ritas stabilietur. Quamvis nec diffiteri

liceat, felicitatem in statu civili non omni-

E 3

bus

(y) HOBBIUS bellum omnium erga omnes
in statu naturali vigere statuit. Qua de re
multis vapulavit adversariis. Defensionem
autem ejus suscepit Dn. GUNDLINGIUS
peculiariter *dissert.* cui titulus: *Hobbesi status
naturalis defensio.* Nempe ostendit, Hob-
besium loqui de eo, quod fit actu in statu
naturali; non de eo, quod fieri debebat.
Conf. EJUDEM *diss. de efficientia metus.*
Cap. II. Add. PUFEND. *de J. N. ac G. L.*
II. C. I. §. 5. seqq.

(22)

bus numeris esse absolutam; cum de insigni molestia, qua cives sæpe affliguntur, aliisque defectibus ac morbis quotidiana testetur experientia. (z)

CAP. VI.

DE APPLICATIONE JURIS
AD FACTVM.

§. I.

*Conne-
xio.*

NE vero norma felicitatis humanæ, de qua in præcedentibus dictum, frustra cognoscatur; necesse est, ut & ad facta applicetur.

§. II.

*Quis ap-
plicet
nor-
mam?*

Quodsi omnes scaperent mortales, *quilibet*, antequam factum susceperet, legis normam eidem applicaret. Cum autem insigni hac in re defectu laborent plerique;

(z) Quare ad flosculos rhetoricos merito referimus elogia, quibus HOBBIUS *de ci-ve Cap. X.* & PUFEND. *de O. H. ac C. L. II. C. I. §. 9.* nimis statum civilem præ naturali extollunt. Conf. TITIUS pariter ac BARBEYRACIUS *in notis ad Pufendorf.* LOCKIUS *de regimine civili C. I. §. 10.*

(a) Conf.

que; *sapientiorum* opera ipsis auxilio esse debet. (a)

§. III.

Sapientes, qui normam applicant stul- *Modus applica-*
tis, vel *ratione amica*, v. gr. monitis, exem- *tionis diver-*
plis, laudibus, præmiis; vel *adversa* utun- *sus.*
tur, coercitione nempe pœnali actionum
injustarum. Posterior modus, si de pœ-
tis civilibus sermo sit, (b) imperantibus ac
magistratibus est proprius. Prior & pri-
vatis cum illis est communis.

§. IV.

In applicatione autem juris ante omnia *De im-*
factum cum omnibus, quæ idem circum- *putatio-*
stant, momenti probe est investigandum, *ne.*
ut constet, cur id ipsum morali æstimatio-
ne tribui debeat. Jureconsulti hic
vocabulo imputationis utuntur. (c) Im-

E 4

pu-

(a) Conf. Dn. THOMAS. *Fund. Juris N. 5*
G. L. I. C. VII.

(b) Cum quibus non confundendæ *pœna disci-*
plinæ, quibus parentes ac præceptores ut-
tuntur. A quibus tamen itidem distinguendæ
pœna ecclesiasticæ, quæ pseudo-sacrum im-
perium supponunt.

(c) *Fundamentum imputationis jam explicui*
cap. I. §. ult.

putare itaque est, aliquem actionis auctorem pronunciare, ejusdemque effectum eidem tribuere. Imputationi locus potissimum est, quando de præmiis & pœnis, nec non de damno dato, item de promissis, ac denique de beneficiis agitur. *Imputare alicui actionem in præmium vel pœnam*, idem est, ac declarare, eum, qui auctor actionis est, præmio vel pœna dignum esse. *Imputare alicui damnum datum*, idem est, ac pronunciare, auctorem damni dati ad ejusdem reparationem esse obligatum. Quando alicui *imputatur amissum* nondum impletum, idem eo ipso declaratur debitor, seu ad præstandum obligatus: quando autem promisso jam satisfecit, præstitum ipsi imputatur ad liberationem. Quodsi *beneficium acceptum* alicui imputatur; hic ad gratum animum benefactori obstrictus declaratur.

§. V.

De jurispru-
dentia.

Juris applicatio ejusdem interpretationem atque explicationem supponit. Utraque hæc junctim considerata, jurisprudentiam producit: quæ in systematicam vulgo, atque habitualem, seu subjectivam, dividitur.

§. VI.

§. VI.

Jurisprudentiam naturalem habitua- *De ju-*
 lem, seu subjectivam, dicimus *habitu*, *risprud.*
certo subjecto inhaerentem, jus naturæ ac natur.
gentium accurate explicandi atque ad a-
li.
ctiones hominum applicandi.

§. VII.

Jurisprudentia autem naturalis syste- *De sy-*
 matica denotat *librum, quo præcepta legis stemati-*
naturalis explicantur atque applicantur. *ca.*

§. VIII.

Quæ explicatio, uti vel *negotia homi-* *De pri-*
num privata pro objecto habet, vel *ne-* *vata ac*
gotia status, seu nexum, qui in civitate *publica.*
 inter Imperantem ac subjectos intercedit:
 ita & jurisprudentia naturalis alia pri-
 vata audit, alia publica. Quare & pars
 nostræ jurisprudentiæ naturalis altera, ad
 quam nunc progredimur, duabus con-
 stat sectionibus: quarum prior jurispru-
 dentiam naturalem privatam, posterior ju-
 risprudentiam publicam universalem
 complectitur.

PARTIS SPECIALIS

SECTIO I.

DE JURISPRUDENTIA NATURALI AC GENTIVM PRIVATA.

CAPVT I.

DE OFFICIO HOMINIS ERGA DEVM

NEC NON

DE JURE HOMINIS INTVITV RELIGIONIS.

§. I.

*Officium
erga
DEum
quid?*

PEr officium uti in genere intelligimus actionem, ad quam lege obligamur; ita hic speciatim officium erga DEum nobis denotat rationem colendi Dei, ad quam lege naturali obligamur.

§. II.

*Diviso
religio-
nis.*

Rationem autem colendi Dei, uti aliam ex revelatione addiscimus, quæ religionis *revelata* nomine venit; aliam vero ope rectæ rationis cognoscimus, quam religionem *naturalem* vocamus: ita manifestum est, illam alterius fori esse;

se; hanc contra nobis hic debere esse commendatissimam.

§. III.

Fuere quidem, qui religionem e circulo jurisprudentiæ naturalis exclusere, ea ratione moti, quod qui legem naturalem admittit, eum & oporteat prius auctorem ejus, DEum, agnoscere ac revereri, adeoque religione imbutum esse. (a) Verum uti hæc ratio sua constat veritate; ita tamen inde non sequitur, nullum lege naturali præceptum de religione inculcari. Hoc enim præceptum ex principiis ante positis facile deduci posse infra demonstrabimus. Quæ cum ita sint; & jurisprudentia naturalis integram de officiis, quæ opere rectæ rationis cognoscuntur, doctrinam complecti debeat; merito caput de officio hominis erga DEum, seu religione naturali, primum hic locum occupare arbitror. Religio autem naturalis partim *propositionibus*, quas vocant, *theo-*

(a) Nominandus hic inter alios est PUFENDORFFIUS, qui ideo caput hoc in opere majori *de jure Nat. ac Gent.* omisit; multis ea propter præter meritum nimis castigatus.

(b)

theoreticis de summi numinis existētia atque attributis; partim *practicis*, de ejusdem cultu, absolvitur. Quarum quidem hæ tantum proprie ad legem naturalem pertinent; interim tamen melioris doctrinæ gratia & illæ in jurisprudentia naturali sunt præmittendæ. Frustra enim summi numinis cultum docemus, nisi discentes prius certos reddamus, idem existere, ac infinitis eminere perfectionibus, providaque cura hoc, quod condidit, universum regere.

§. IV.

De existētia
DEI.

Operæ itaque pretium erit, ante omnia demonstrare, quod Deus existat. Prostant variæ hujus veritatis demonstrationes; quarum tamen aliæ aliis, tum pondere, tum perspicuitate, sunt inferiores. (b) Recte quidem nos rationes subdu-

(b) Prostant variæ, ad quas provocavi, demonstrationes apud MORNÆUM, GROTIUM, ABBADIUM aliosque scriptores, qui de veritate religionis agunt. Conf. SAMUEL PARKERUS in *Dissertationibus de Deo & provident. divina*; RICHARDUS BENTLEYUS de *stultitia & irrationabilitate Atheismi*. JAQUELOT de *exi-*

Et utros censeo, si a certa nostri, vel aliarum rerum existentia argumentationis filum ducere incipiamus, atque enumeratis causis secundis, denique in causa prima, ab omni aeternitate existente, quam Deum dicimus, subsistamus. Cum enim innumera fere entia nobiscum certo existere, nec tamen a se ipsis esse posse sciamus; non possumus non summa fiducia concludere, ab aeterno aliquid fuisse, quod reliqua produxerit. Si praeterea ad sapientem, quem ex machina hujus universi contemplatione percipimus, ordinem curatius pensitandum accedimus; facili etiam negotio certiores reddimur de infinita, quae eidem praesit, sapientia, quod est ipsum summum numen.

§. V.

existence de Dieu &c. Item Dni. BUDDI Dissert. de pietate Philosophica. Dicendum hic quoque est de argumentis, quae pro demonstranda summi numinis existentia, a notitia Dei insita; item a consensu gentium; vel a nova, quam singulis momenti contingere WEIGELIUS in Philosophia Mathematica statuit, hujus universi productione; vel speciatim a consideratione hominis repetuntur. Conf. Dn. BUDD. Theses de Atheismo & superstit. cap. V.

(c)

§. V.

De ejus
proprie-
tatis.

Quemadmodum igitur demonstravi-
mus, dari Deum, *auctorem hujus uni-*
versi, (c) atque omnium, quæ in hoc
deprehenduntur, perfectionum; conse-
quitur inde eum esse *perfectissimum*. (d)
Hinc porro concludimus, eum esse *infi-*
nitum; Si enim termini ipsi essent posi-
ti, imperfectus foret. Erit præterea *o-*
ptimus, (e) *potentissimus*, *sapientissimus*,
omniscius, *justissimus*; (f) Si enim ho-
rum

(c) Conciunt itaque EPICURI de *fortui-*
to atomorum concursu deliria; nec non
eorum somnia, *naturam omnium rerum*
causam, nec non *materiam Deo coæter-*
nam. crepant, ut SPINOZA & non pauci
ex Philosophis gentilibus vid. DN. BUDD.
Dissert. de Spinozismo ante Spinozam. it.
EJUSDEM *Tract. de Atheismo & super-*
stit. cap. I. §. 26. & cap. VI. §. 25.

(d) Quare Deo proprie non possunt tribui,
quæ imperfectionem involvunt; ut *manus*,
pedes, *oculi*, *passiones animi* & similia: e-
jusmodi enim vocabula ea ratione, quæ
Dei perfectioni convenit, sunt intelligen-
da atque explicanda.

(e) Cum optimus sit Deus, consequitur, in-
ter cetera, eum *non esse auctorem peccati*.

(f) Tribuit itaque suum cuique; atque a-
deo & pravas mortalium actiones eun-
dem

rum quid deficeret, non esset perfectissimus. Recte quoque Deum pronunciamus *unum*, cum ens perfectissimum, vere tale, non possit esse, nisi unum; nec non *materie expertem*, cum alias foret finitus, terminisque circumscriptus; Quid? quod *omnipresentem*: cum infinitum nec ulli loco includi, nec excludi queat; denique *providentissimum*. Quæ potiores sunt, quas ratio capit, summi numinis proprietates. Quibus perspectis, existimandum tamen non est, nostrum intellectum essentiam Dei perfecte capere. Qua ratione enim quæso fieri posset, ut ens finitum perfecte caperet infinitum? (g)

§. VI.

Cum autem frustra coleretur ac metu-
retur

dem pœnis coercere promeritis, rationi facillime redditur manifestum.

(g) Notandum hic etiam est, falli MORNÆUM de verit. Relig. Christ. nec non POIRETUM in cogitat. ration. de Deo, anima & malo, aliosque, Dno. BUDDEO in dissert. de pietate Philosophica §. 20. citatos; qui existimarunt, ex solo rationis lumine trinitatem summi numinis posse demonstrari.

*rim de
provi-
dentia
divina.*

eretur Deus, si nullam nostri curam gereret; opera, opinor, pretium erit, ut de ejus providentia speciatim agamus. Sigillatim itaque inculcanda veritas, Deum tum *universum mandatum in primis genus humanum* sua regere providentia. Id quod ex precedentibus probari potest facillime. Fac enim, DEUM esse omnipotentem; cuncta, quæ condidit, ipsi semper quasi ob oculos versabuntur. Fac porro, eum esse sapientissimum, summe bonum ac felicem; quidni bene ipsis cuperet, ac eorum felicitatem sapientissime promoveret? Fac præterea, eum esse justissimum; fieri sane non potest, quia pertinaciter malos poenis promeritis affligat. Fac denique, eum esse potentissimum: & nihil quidquam profecto, quominus providam hujus universi curam gerat, ipsum poterit impedire.

§. VII.

*De cultu
Dei in
genere.*

Hoc igitur summum Numen pio nos oportet cultu prosequi. Præceptum enim legis naturalis est. COLE DEUM, sive AMA DEUM SUPRA OMNIA. Cujus præcepti nexum cum primo, quod supra posuimus principio facile percipimus

mus

mus. Quid enim magis homini ad veram felicitatem consequendam conduceret, quam amor Dei, qui summe bonus est, ac fons omnis felicitatis? Ex principiis nostris secundo-primis huc pertinet *regula honesti*. Hæc enim amorem inculcat rationalem, qui in eo consistit, ut, debellatis pravis affectibus, verum bonum amemus. Cum itaque DEus sit summe bonus, consequitur regulam honesti præcipere, ut summo eidem amore jungamur. Accedit *regula prudentie*: male enim profecto rebus suis consuleret, multaque sibi mala acceleraret, qui tantum summum colere detrectaret.

§. VIII.

Cultum Dei, (quem & pietatis nomine *De cultu interno.* indigitamus) (b) distinguere solemus in internum & externum. Legis naturalis præceptum commendat potissimum priorem. Hic autem, ut ostendimus, consistit in *summo supremi Numinis amore*. Quem quidem amorem non oportet esse familiarem, sed *summa potius animi reverentia temperatam*. Deum quippe

P

cogno-

(b) Vid. Dn. BUDDEI *Dissert. de pietate philosophica.* (i)

cognoscimus non solum summe bonum, sed & justissimum potentissimumque, ad eoque amandum pariter ac timendum. Quemadmodum itaque metum oportet temperare amorem; ita, si hic abesset, metus Dei servilis prodiret, recta rationi, speciatim regulæ honesti maximopere adversus.

§. IX.

De effectu ejus.

- Amor DEI, metu temperatus, efficit, ut homo Deum humillime veneretur; opera ejus magni faciat; gratissima semper mente innumera ejus beneficia recolat; summam in eo spem ac fiduciam collocet; veræ felicitatis incrementa supplicibus cordis desideriis ab eo efflagitet; voluntati ejus obsequiose pareat, atque in eadem, cum nunquam non bona, patienter acquiescat.

§. X.

De cultu externo naturali.

Quicumque Deum eo, quem explicavimus, modo colit, ille nec potest non, quavis data occasione, *amoris*, quem pectore alit, *externa* edere in humana societate *documenta*. Frustra enim magnifice de amore suo interno sentit, qui externis eum signis omnino non exprimit. Frustra etiam

iam metum divinum crepat, in cuius actionibus nulla illius licet vestigia observare. Quare facile patet, regulam decori & prudentia exigere, ut cultum DEI internum & vultu, & lingua & opere decore ac circumspicte aliis demonstrares; partim amoris ac metus divini in te ac aliis magis excitandi gratia; partim etiam amicitia mutua stabilienda. Prævos itaque cordis adfectus minus decore atque imprudenter prodit, qui summi numinis opera ac beneficia nullis umquam laudibus, nulla gratiarum actione, ubi commoda adest occasio, cum aliis hominibus deprædicat; qui preces in societate humana fundendas omnino fastidit; qui sermones de DEO pie institutos ludibrio habet; qui nomine DEI profane abutitur; qui de mysteriis divinis petulanter loquitur; qui denique corruptis ubique moribus animum minus religiosum atque metu summi numinis vacuum declarat.

§. XI.

Anxiam autem dierum, horarum, locorum aliorumque multorum solennium ad cultum divinum electionem, ratio re-
De cultu externo arbitrario.
 eta ignorat. Et quemadmodum omnium

rituum externorum neglectum facilem ad atheismum viam reddere cognoscit; ita tamen simplicitatem magis ex regula prudentiæ commendat, quam copiosum nimis artificiosarum cerimoniarum, quæ a superstitione parum absunt, apparatus. (f)

§. XII.

*De oppositis:
spec. atheismo
& Deismo.*

Veris, quas posuimus, religionis naturalis principiis tum atheismus ac Deismus, tum superstitio atque hypocrisis maxime repugnant. (k) *Atheismus* alius dicitur

(i) Ne quæso nobis hic objicias solennes ecclesiæ Judaicæ ritus. Hi enim non ex rationis lumine a Judæis fuere producti, sed a Deo singulari de causa in certam periodum sanctissime definiti. Qui & superstitiosum eorum usum iterum iterumque castigavit. Ex supra dictis quoque erroris facile convinci possunt, qui sacrificiorum usum, nec non solennem septimi diei cultum jure naturali præceptum existimaverunt. De quibus videatur cit. *Dissert. Dn. BUDDÆI de pietate philosophica* §. 39. seqq.

(k) Graviora ex superstitione quam ex atheismo mala in rempublicam redundare BAYLIUS existimavit. Quæ hypothesis hic sub incudem revocanda. Conf. Dn. BUDDÆI *Theses de Atheismo & superstitione cap. IV. p. 339. seqq.* Add. GUNDLINGIANA P. XIV. obs. 3. (l)

citur *theoreticus*, alius *practicus*. *Theoreticum* vocamus, quando quis vel ipsam Summi numinis existentiam, vel saltem providentiam negat, omniaque fato cuidam stoico subesse fingit; vel summum numen animo concipit, cum natura & rebus conditis ita permixtum, ut ejusdem sit cum his essentia, eademque velut divina suae essentiae particulas complectatur. (b) *Practici* autem atheismi nomine venit impietas illa, qua incitatus homo, theoretica quamvis DEI notitia imbutus, ita vivendi rationes instituit, ut, norma voluntatis divinae omnino neglecta, concum pravorum affectuum impetum sequatur, atque adeo

F 3

ipsis

(b) Nonnullis quidem dubium videtur, an existerint athei theoretici. Sed dubium amplius non est, quin existerint tales, & hucusque, prohi dolor! existant. Quamvis certissimum etiam sit, non paucis atheismi suspitione, vel accusatione insignem fieri injuriam. Sic primis Christianis a gentilibus atheismus, cum aliis vitiis, per calumniam fuit exprobratus. Taceo sapientiores gentilium, quibus haec macula a superstitionis idolorum cultoribus fuit iusta. Conf. ARNOLDI *Histor. Eccles. Libr. XVII. cap. 26. It. Dai BUDDI Theses de Atheismo.*

(m)

ipsis operibus ac facinoribus secure perpetratis DEum inficietur. Ab atheismo parum abest *deismi*, quem vocant, vitium, quo abrepti cognitum numen nullo prosequi cultu dignantur.

§. XIII.

De superstitione.

Quod ad superstitionem attinet, vitium omnino detestandum; cave existimes, eam consistere in excessu, ut nonnulli loquuntur, pietatis. (m) Pietatem enim cum supra ostenderimus absolvi potissimum amore ac metu summi numinis; quis quæso sine summa stultitiæ labe sibi ac aliis persuaderet, posse miseros mortales DEum optimum maximum, potentissimum, justissimumque nimis amare, nimis revereri? superstitionem potius eam appellamus stultitiam, qua seductus homo vel rebus conditis numen tribuit divinum, fiduciam in illis collocat, felicitatem ab illis efflagitat, metuque servili easdem veneratur; (n) vel ipsum

(m) Est hic fructus doctrinæ de virtute in mediocritate consistente.

(n) Huc pertinet idololatria gentilium; nec non cultus imaginum, ut & sanctorum demortuorum ossiumque eorum, & quæ sunt generis ejusdem. Dicendum hic sigillatim de

ipsum summum numen cultu omnino indigno profecquitur, pravorum ductu adfectuum ratus, Deum externo religionis exercitio, artificiosis ac saepe ridiculis hominum institutis formato, placari; licet cordis morumque ad ipsius voluntatem emendatio nulla sequatur.

§. XIV.

Hypocrisis est vitium, quo homo singularem DEi amorem ac reverentiam calide simulat; magnifica igitur ac religiosissima de Deo verba frequentius facit; splendidissimis etiam virtutum simulacris pictatis ac sanctitatis famam acquirere laborat; quamvis vero DEi amore, verisque, quas hic producit, virtutibus omnino destituatur. (o)

De hypocrisi.

§. XV.

Quae devia cum vitare doceant genuina religionis naturalis principia; de usu ejus nemo sanus, opinor, dubitabit. Ut

De usu religionis naturalis.

F 4

aur

de superstitioso mortuorum apud Chineses cultu. Quod argumentum Dn. BUD-DEUS peculiari dissertatione explicavit. Conf. ejus *Tract. de atheismo & superstit.* cap. 8. 9. 10.

(o) Exemplo sunt Pharisei.

(o)

autem res magis reddatur perspicua; distincte eam explicabo. Nempe utilitas religionis naturalis considerari potest, vel intuitu singulorum hominum, vel intuitu societatis humane. Priori modo considerata utilitas in eo consistit, ut homo, illa vere imbutus, Deum optimum maximum, fontem omnis felicitatis abundantissimum, sibi conciliet propitiumque reddat; (p) porro tranquillitate animi solida fruatur; præterea ab atheismo atque aliis, quæ exposui, vitiis immunis præstetur; & denique ad veritatem religionis revelata manu velut ducatur, aut in ea confirmetur. Quod si ratione posteriori rem ponderaveris, vera religio naturalis probe excolta & societatum humanarum felicitatem admodum promovebit. Hæc enim pace atque amicitia mutuo culta absolvitur. Istâ autem felicitate societates humane tam domum optime frui poterunt, cum earum membra

(p) Deus enim non potest non eum amare, qui ipsum amore reverentiali colit. Quod tamen ita intelligendum, ut veritati revelatæ de salute hominum æterna sua constet auctoritas.

(q)

bra haud fucato, quem explicavimus, summi numinis amore flagraverint. Sic enim pacis pariter atque amicitiz leges, in commune emolumentum servabunt quam sanctissime. (g)

§. XVI.

Denique etiam jus, quod homini intuitu religionis lex naturalis indulget, paucis est ostendendum. Id vero quoniam libertatis conscientiz nomine veniat, nemo certe dubitabit, cui sana Deum precordia finxit. Obligationem enim ad colendum Deum internam esse, supra percipimus, ex regula honesti & decori deducendam. Cujus generis obligationes in universum remediis suavisioribus sunt excitandae, non violentis coactionibus. His enim, ad pacem, si cetera recte se habeant, custodiendam, in veros ejusdem turbatores cum

De libertate conscientia.

F 5

rat o-

(g) Ne, quaso, hic nobis objicias, usum tamen istum in societatibus hominum non licere offendere; quamvis revelata religio accesserit. Tantum enim abest, ut vis atque efficacia religionis ea propter nulla sit, pronuntianda; ut hominum potius vitis ista sit calamitas tribuenda, religionem non vero ut decet, cordis affectu, sed ore plerumque ac gestibus tantum amplectentium. (r)

ratione uti poteris: minime autem gentium ad amorem reverentialem accendendum, nisi lumen rationis tibi fuerit adentum. *Jus hoc libera a violentis coactionibus conscientia communita merito pronunciamus; cum proxime ex lege naturali deriveretur, atque ante hominum pacta, legesve civiles factum cuique debeat esse rectumque. (r).*

CAP. II.

DE OFFICIO AC JURE HOMINIS INTUITU SUI IPSIUS.

§. I.

De amore sui rationali.

Officium hominis intuitu sui ipsius amore sui rationali absolvitur. *Quamvis*

(r) Injuste itaque sunt pœnæ, religionis obtundendæ gratia de dissentientibus in Republica fiunt; injusta bolla, que eam ob causam geruntur, pœnalia. Conf. NOODTHII *dissert. de religione ab imperio jure gentium libera*: quam Gallica versione donavit nobisque illustravit BARBEYRACIUS sub rubro: *Discours sur la liberté de conscience*. Add. SAM. WERENFELSII *Epist. de jure in conscientias ab homine non usurpando*. It. BAYLII *Commentaire Philosophique*

vis enim homines æque ac bruta, jam *instinctu naturali* ad amorem sui ferantur; hic tamen instinctus adfectuum virtio homini ad veram felicitatem consequendam non sufficit; sed ad normam potius exigendus est atque in ordinem redigendus. Hinc præceptum legis naturalis ex regula honesti, decori & prudentiæ fluens: **AMORE RATIONALI ac BENE ORDINATO TE IPSUM COMPLCTERE.** Consistit autem amor sui rationalis in moderamine adfectuum; ad veram felicitatem, ex voluntate summi numinis, acquirendam. (s)

§. II.

Cum autem vita sit fundamentum *o-De vite*
 manis felicitatis humanæ, atque donum Dei *confer-*
prax- vanda.

que sur ces paroles de Jesus-Christ: con-
train les d'entrer; ou traité de la toleran-
ce universelle. It. ELIÉ SAURINI Re-
flexions sur les droits de la Conscience: it.
BASNAGII *Traité de la Conscience. It.*
Dr. BOEHMERI *dissert. præliminaris, de*
jure circa libertat. conscient. quam libro
III. juris Eccles. Protest. præmisit.

(s) Conf. quæ de adfectibus & restitutione
 libertatis, nec non de mediis ad hanc ne-
 cessariis dicta sunt *Part. generali. Cap. I.*

(t)

præstantissimum; lex naturalis de amore sui rationali speciatim quoque obligat ad vitam conservandam; & contra *autochiriam* prohibet, quippe quæ, si vel maxime nullius hominis jura violet, *regibus tamen honesti & decori* repugnat. (r) Non tamen *autochiriam* vitio contaminari censendus est, quem in vitæ breviandæ pericula ex officii ratione se conjicere oportet; quive alias boni communis gratia verosimilem brevioris vitæ occasionem eligit, spe singularis auxilii divini fretus. (u)

§. III.

(r) Potest tamen interdum contingere, ut & aliorum simul jura violentur *autochiria*. Probe autem attendendum est, utrum compos mentis fuerit, qui se ipsum, durioris forte mali vitandi causa, interfecit; an vero furore, aut extrema melancholia laboraverit. Posteriori animi casu uti usus rationis defecit; ita quoque non est, quod delicti nomine possit imputari.

(u) Conf. PUFEND. *de I. N. ac G. L. II. c. IV. §. 16. seqq.* ibique BARBEYRAC. *in notis*. Ubi etiam de questionibus dubiis agitur. Et Dn. THOMAS. *Jurisprud. div. L. II. c. II. §. 74. it. Fund. L. N. §. G. §. 13.* Nempe disceptatur, *utrum ius naturale per modum exceptionis permissa sit*

§. III.

Post vitam, quæ arctissima mentis ac corporis conjunctione absolvitur, mentis nunc quoque speciatim ratio habenda. Hujus vero uti duas esse facultates primarias, intellectum nempe ac voluntatem, atque utriusque in emendatione sui curam hominem gerere debere, supra jam demonstravi: (x) ita idem hic denuo est inculcandum. Quodsi tamen utramque mentis facultatem non æque excolere datum fuerit; exactam intellectus culturam postponendam censeo, ne voluntatis potiendæ occasio evanescat. Non enim tam ad speculandum, quam ad bene agendum in hac statione a Deo col-

fit avtochiria; si quis videat, se deinceps in probrum Dei victurum; aut vita se cum summo cruciatu privatum iri, aut si quis ob imputata sibi, quamvis innocuo, delicta, a sevo Principe se ipsum interficere iubeatur. De STOICORUM hypothesi, qua avtochiriam, certo modo licitam defenderunt, ex instituto egit Dn. BUDDEUS in *dissert. IV. de error. Stoicorum in Philosophia moral. §. 5. 6. in analect. hist. Philosoph. p. 192. seqq.*

(x) Part gener. cap. I.

(y)

collocati sumus. Quid? quod & voluntas probe excolta intellectum magis magisque impellit, ut veritates artesque utiliores, missis vanis stultisque, quoad fieri potest, imbibat. Sic etiam cavebit homo, ne artes atque scientiæ virtutis in ipso impedimentum evadant. (y) Inprimis ars se ipsum atque alios cognoscendi probe est addiscenda: (z)

§. IV.

*De exi-
stima-
tionis
& hono-
ris usu.*

Cui voluntatis cultura curæ est cordi-
que, is uti pravos omnes affectus, ita &
ambitionis vitium fugere debet. Cave
tamen, omnem existimationis atque ho-
no-

(y) Nonnulli ex Patribus eruditionem sci-
entiarumque humanarum culturam omni-
no damnarunt, scientiam per se inflare
rati: quos sequutus est HIERONYMUS
HIMHAIM *in typho generis humani*. Ne-
que sat discriminis observavit HENRICUS
CORNEL. AGRIPPA Libro *de incertitu-
dine & vanitate scientiarum*. PETRUS
POIRETUS *de eruditione vera, superfi-
ciaria & falsa cum grano salis* conferen-
dus. Adde Dn. THOMAS. *cautelæ circa
præcognita juris*. It. Dn. BUDEI *dis-
sert. de cultura ingenii*.

(z) Conf. hic Dn. THOMAS. *Prud. con-
sultat. cap. IV. §. 37. seqq.*

(a)

noris usum damnes. Existimatio alia *simplex* dicitur, seu opinio boni viri ex vera virtute oriunda; alia *intensiva*, quæ consistit in singulari honore ac dignitate, quibus quis aliis in societate humana jure antecellit. Opinio boni viri actionibus ad normam voluntatis divinæ compositis omnino est acquirenda, nec sine legis naturalis violatione hac in re licet esse negligentiori. Intuitu autem singularis honoris ac dignitatis, nec non, quæ cum his plerumque conjunctæ sunt, famæ, laudis ac gloriæ duo sunt extrema vitanda; quippe regulis honesti, detori ac prudentiæ repugnantia. Primum est, quando quis, adfectato modestiæ & humilitatis obtentu, honores omnino fugit; aut etiam ignaviam suam, quæ onus cum honore conjunctum fastidit, alio quodam involucro regit. (a) Alterum est, quando

(a) Notanda hic adfectata honorum Reipublicæ fuga, qua STOICI inclamaverunt. Quod plenius ostendit Dn. BUDDEUS *cit. dissert. IV. de erroribus Stoicorum in philos. morali §. 7.* Notandum hic etiam etiam illud litterarium, cui nonnulli eruditi ita indulgent, ut omnem vitam publi-

do quis superbia abreptus, honores avide, ac, vel malis artibus in auxilium vocatis, confectatur. Media hic itaque via incedendum, atque honores placide acceptandi, inque commune emolumentum sine fastu & aliorum contemptu, vanæque gloriæ ac laudis cupidine, usurpandi.

§. V.

*De usu
operum.*

Quod ad opes attinet, cum iisdem homo ad sui conservationem omnino indigeat; consequitur profecto, amorem sui rationalem non posse non producere moderatum illarum desiderium, atque hoc voluntati divinæ convenire. Quin immo regulis honesti, decori ac prudentiæ perquam est adversum, si quis otio deditus in acquirendis necessariis vitæ subsidiis negligens existat, atque adeo paupertatem, dedecus, aliaque incommoda sibi attrahat. Eadem contra regulæ præcipiunt, ut in acquirendis pariter atque ero-

blicam, munerisque administrationem plene fugiant. Conf. CASP. HENRICI STARCKII *Tract. hist. moral. de doctorum vitæ privata, quam honoribus quidam & officiis publicis prætulorunt.*

(b)

erogandis facultatibus modum teneamus; ut paucis contenti simus, nec opes anxie atque avare corradamus, fiduciamque in earum possessione tenacissime collocemus, (b) aut ambitioni foedave voluptati pabulum inde subministremus; ut partis ad vitæ conservationem & ad bene aliis faciendum tranquille utamur; ut denique serio semper cogitemus, caducas omnes esse opes ac transitorias, ne, his forte amissis, animum despondeamus.

§. VI.

Porro quemadmodum foedam voluptatem regulæ honesti & decori omnino detestantur, una cum omnibus iis, quæ impuram accendere libidinem possunt; qualia sunt commercia & colloquia cum impuris ac lascivis, picturæ libidini excitantur.

De re. creatura. naturali.

(b) Duplex hic notanda est avaritia: unam tenacitatem, alteram rapacitatem vocamus. Prior tantum repugnat regulis honesti, decori & prudentiæ. Altera vero etiam in regulam justii impingit, si quis a iena vel cum læsione proximi acquirere non vereatur.

(c)

tandæ accommodatæ, cantilenæ lascivæ, libri libidinosi & quæ sunt generis ejusdem; ita tamen honesta atque decora mentis recreatio, animusque hilaris, quippe ad hominis conservationem non parum facientes, amorem sui rationalem non offendunt. Cavendum vero maximo opere est, ne summæ quasi felicitatis loco ejusmodi recreationes censeamus, tempusque iisdem otiosi transigamus, cum hoc sit manifestum vitiosi affectus indicium multorumque malorum occasio. (c)

§ VII.

*De spe
ac metu
tempe-
randis.*

Præterea cum spe ac metu homines potissimum regantur, atque insignis profecto horum adfectuum ad felicitatem humanam, tum promovendam, tum impediendam, sit efficacia; iisdem rite temperandis strenuam oportet operam impendere, ut animus ita formetur, *ne timidus sit, nec sumidus.* Vtrumque enim & timiditatis & audaciæ vitium, regulis honesti, decori & prudentiæ non parum adversatur. Timiditas, partim voluptatis, partim avaritiz

(c) Lectu dignissima sunt, quæ de otio atque recreationum abusu scripsit Dn. THOMAS, in *praxi philos. moral.* cap. XIII. §. II. seqq.

est filia, obstat, nequid negotii ad veram nostram felicitatem promovendam suscipiamus; aut ut cœptum opus, difficultate quadam premente, mox deseramus.

Audacia, ambitionis filia, multa quidem tentat, non pauca perficit, arduas vincit difficultates, parat amicos, repellit inimicos, quamdiu audacem fortuna juvat. Verum, hac mutata, sublati ante audaces in altum, lapsu deinde ruunt graviore, atque minus solidam stabilemque suam, qua aliquantisper gaudebant, felicitatem deprehendunt. *Tranquille itaque & cordate*

agendum, posteaquam in vires inquisivimus, solide deliberavimus, impedimenta circumspecte ponderavimus. Sapiens non cosco impetu sperat, aut metuit, sed cum ratione. *Spes ac metus rationalis est*, quando sperans ac metuens potentiarum adjuvantium, vel adversarum, vires recte æstimat, adeoque sperat, ubi ob potentiarum adjuvantium auxilium est sperandum, ac metuit, ubi ob potentiarum adversarum impedimenta est metuendum.

(d) Semper tamen meminisse oportet,

G 2

pro-

(d) Conf. Dn. THOMAS. *Fundam. J. N. ac G.*

providentiam divinam, quæ omnibus nostris conatibus adstat, homines etiam sapientes ac prudentes haud semel tentare, atque consiliis bene captis faustum denegare eventum; & minus cautis contra consilia largiri feliciorum. Hæc itaque reverenter colenda, si vel maxime adversa fuerit, neque propterea animus abjiciendus. Spes potius nihilominus firmè in DEO figenda, gratiosumque ejus auxilium tranquillamente patienter expectandum. Post nubila Phœbus!

§. VIII.

De corporis cultura.

Post animum corporis quoque ratio habenda (e), cum & bene ordinata hujus cura ad felicitatem nostram utique faciat. Quid? quod nec animo, ob intimum utriusque nexum, omnino bene esse, nec vita, prout

G. libr. I. cap. II. §. 20. seqq. It. Prudent. consult. c. IV. §. 12. seqq.

- (e) EPICURÆI corpus menti præferebant. In alterum vero extremum major PLATONICORUM, PYTHAGORÆORUM & STOICORUM pars, ut & nonnulli EBREORUM se præcipites dederunt; corpus triste animi domicilium atque ergastulum rati, ejusque adeo culturam negligentes.

(f)

prout par est, conservari potest, si corpus perpetua calamitate affligatur. Humanæ quippe felicitatis pars maxima est, ut sit *mens sana in corpore sano*. Quæ cum ita sint, hominem oportet decente ratione pericula, ad corporis destructionem facientia, evitare, nisi prægnantissimæ eadem subire rationes jubeant. Cibo etiam ac potu corpus est reficiendum; a nimia autem illorum copia abstinendum; quippe quæ partim animum reddit libidinosum atque interdum pene furibundum; partim vero ipsi etiam corpori magis nocet, quam prodest. Moderata porro corporis commotione opus est, ne putrefactio sanguinis oriatur, infelix multorum morborum progenitrix. Vestimentis quoque, tum ad necessitatem, tum ad bene ordinatam munditiam ac commoditatem, corpus est tegendum, ita tamen, ut mollietis ac luxus absint. Quæ omnia regulæ honesti, decori ac prudentiæ perspicue inculcant.

§. IX.

His ita de officio hominum intuitu sui *De jure* ipsius expositis, tandem & de jure dicen- *violenta*
 dum. Cum autem lex naturæ sui conver- *defensio-*
 sationem præceperit; consequitur, eam- *nis.*

dem quoque jus indulgere, usurpandi media ad finem necessaria. Quodsi itaque periculum ab aliis nobis imminet, quousque tum violenta sui defensione uti liceat, nunc est investigandum.

§. X.

Momentum in-juria ponderandum.

Attendendum autem probe est, sitne malum, quod imminet, alicujus momenti; an vero leve ac vel mediocri patientia perferendum. Posteriori casu regulæ honesti, decori & prudentiæ patientiam suadent, non violentiam. Qui enim adeo est a patientia alienus, ut ne leviozem quidem ferre injuriam possit, vitiosum animi affectum prodit, atque adeo inhonestus est ac indecorus. Quid? quod & insignis imprudentiæ est documentum, si quis, ob levioris injuriæ vindictam majoris mali periculo, quod violenta sui defensio plerumque secum fert, obnoxium se reddat.

§. XI.

Lenior via tenenda.

Eadem porro regulæ honesti, decori & prudentiæ, si vel maxime injuria sit alicujus momenti, leniora tamen prius remedia adhibere jubent, quam ad arma provolemus, aut alia utamur violentia; quippe

quæ

quæ a viro honesto, decore ac prudente non, nisi in subsidium, possunt usurpari.

§. XII.

Quodsi majoris momenti sit injuria, neclenioribus remediis locus relinquatur; tum demum violenta sui defensio perfecte est permessa. (f) Ei enim, qui malitiose in te est injurius, nulla profecto fieri potest injuria; si vel maxima adhibita violentia malum ab ipso tibi imminens repellas, vel jam illatum fortiter ulciscaris. Sic salva manet regula justii. Neque ad amoris rationalis legem hic licet adversus te provocare; cum vel optime ordinata caritas

Tandem violentia licet.

G 4 ritas

(f) Utrum lege naturali præcepta sit violenta sui defensio, ea profecto superflua magis est quæstio, quam utilis. Vide tamen, si placet, KULPISII Collegium Grot. ad Libr. II. cap. I. thes. 2. cit. f) 2, 31. Conf. ipsum GROT. cit. cap. Neque quisquam ob neglectam violentam sui defensionem poenas dabit, sive forum divinum, sive humanum consideres. In militibus peculiaris est ratio: his enim violenta sui ab hoste defensio, in communem salutem, speciatim est imperata; quam si omiserint, non tam ea de causa puniuntur, quod se non defenderunt; quam quod, imperatis turpiter neglectis, reipublicam in periculum conjecerunt.

(g)

ritas incipiat a se ipsa; nec magis diligere proximum quam nosmet ipsos, jubeamur. Atque adeo nec regulis honesti & decori hic quidquam deprehendimus adversum, nisi violenta sui defensione utens turpi vindictæ magis indulgeat, quam sui conservationi studeat. Nec regula prudentiæ violatur, modo mediis ad finem obtinendum necessariis fueris instructus: quibus deficientibus cedendum potius, quam jus, quod defendere nequis, cum imperu urgendum.

§. XIII.

Applicatio ad statum libertatis.

His ita in genere de jure hominis, se ipsum vel violentia in auxilium vocata, conservandi præmissis; applicanda tandem dicta ad quæstiones speciales celebriores, primum ratione status libertatis ponderandas. In hoc vero statu cum ab imperio communi nullum possit efflagitari auxilium; quilibet sub providentiæ divinæ tutela sibi ipsi auxilio esse debet. Neque hoc Deo potest displicere; quoniam alias nequissimus quisque secure posset insurgere in probos ac quiete vitam transigentes, horumque felicitatem quovis modo turbare. Nullum itaque est dubium, quin

quin in hoc statu liceat, tum damnum imminens avertere, tum datum reparare. Prævenire hic secundum regulas prudentiæ præstat, quam præveniri. Duratque facultas violentæ defensionis, donec plena securitate gaudeamus.

§. XIV.

Simulac igitur in hoc statu vita nostra in periculum ab alio injuste vocatur; nec eadem leniori via potest conservari; vel cum internecione hostis periculum licet amoliri. Quique ea occasione occiditur aggressor dolosus, sua perit malitia. Sin per errorem, aut insaniam agitur, hostilia moliatur; sufficit, ipsi nullum esse jus, eodem modo agendi, nec te esse obligatum ad mortem subeundam.

De defensione vite,

§. XV.

Vitam ac famam pari vulgo passu ambulare ajunt. Quod quamvis non absolute verum sit proverbium; in eo tamen vita & fama conveniunt, ut jure utramque defendere queamus. Homini quidem privato, si in statu naturali viveret, famæque læsione affligeretur, ex regulis honesti, decori & prudentiæ patientia foret commendanda. Summorum autem imperan-

Fama,

perantium aliam deprehendimus faciem conditionemque. Horum enim existimationi quæ adspergitur macula, ipsi perniciofa est reipublica. Quare & his ejusmodi injuriam vel armis, si alia defint remedia reparanda læfionis, vindicare licebit. (g)

§. XVI.

Membrorum, De membrorum confervatione idem ftatuendum; cum haud infima fit pars felicitatis humana, ut his fua conflet integritas; ac profecto irreparabilis ex mutatione membrorum jactura oriatur. Neque adeo in hac quaftione attendendum, utrum membrorum mutilatio mortis periculum poffe trahere poffit, nec ne. (h) Vix enim ac ne vix quidem contingere potefl, ut invafus ea de re certus exiflat.

§. XVII.

Pudicitia ac libertas, Utrum vero talis defenfio etiam adverfus pudicitia invafionem licita fit; ea difceptari folet quaftio. Mihi, nullas obftare

(g) Dicta illustrari poffunt exemplo Davidis.

(h) Quod requirit GROTIUS, de J. B. & P. libr. II. cap. I. §. 6. Quem fequitur KULPISIUS in Collegio Grociano.

stare solidas rationes, persuasum est, quo minus adversus violentam pudicitiae prostrationem violentam quoque, ad interuersionem usque hostis, defensionem admittere queam; cum & damnum, quod inde oritur, non levioris profecto fit momenti. (i) Idem & de libertatis iactura statuendum.

§. XVIII.

Porro post introducta distincta rerum ^{Bona} dominia, & eum, qui hostili modo res nostras invadit, violenta defensione licet in hoc statu repellere; ita, ut nec occisio hostis, quae necessario ex defensione sequuta est, defendenti possit imputari. (k)

§. XIX.

(i) Confer mecum consentientes GROTIUM de jure B. ac P. L. II. c. I. §. 8. PUFEND. de J. N. ac G. L. II. c. V. §. II. KVLPIIVM in coll. Grot. ad cit. cap. Thef. IV. Dissentiunt quidem OSIANDER & ZIEGLERVS ad cit. Gronii locum, aliique, AVGVSTINI auctoritate capti; qui ideo quaestionem negavit, quod pudicitia sit in animo, quae nulli vi externa possit eripi. Quibus tamen satisfecit PVFFND. cit. l.

(k) GROTI. cit. l. §. II. PVFFND cit. l. §. 16. KVLPII. cit. l. Th. V.

(l)

§. XIX.

*Applica-
tio ad
statum
civilem.*

In statu autem civili laxior illa sui defen-
sio non parum est circumscripta. Cum
enim in bene ordinatis civitatibus judicia
ad tranquillitatem communem confer-
vandam sint constituta; cives sibi ius
dicere ipsi nequeunt, sine insigni
status turbatione. Quare in hoc statu vi-
olenta sui juriumque suorum defensio non,
nisi per modum exceptionis, potest esse
permessa; quando nempe damnum metu-
itur irreparabile, nec iudicis, ob morz
periculum, auxilio nobis licet gaudere.
Præsens itaque oportet esse *periculum*, po-
tentiamque nocendi proximam, quæ ju-
dicioꝝum præsidio locum non relinquat.
Violentæ vero defensionis facultas *eo us-
que* hic tantum durat, *donec e periculo da-
mni irreparabilis evaseris*. Ad fugam
vero nemo potest dici obligatus, nisi cer-
tissima adsit evadendi occasio. Ultra
defensionem hic non licet progredi: ju-
sta enim injuriæ *vindicta* una cum *canti-
one de futura*, quæ metuitur, *laxione*, ma-
gistratui quiete permittenda. Quod si
quis moderamen, quod vocant, incul-
patæ tutelæ, animi perturbatione ductus,
migraverit; adfectui quidem, ab invaso-

re

re excitato, aliquid indulgetur; poena tamen extraordinaria ista coercetur aberratio.

§. XX.

Denique & ex jure se ipsum conferendi vulgaris fuit regula, utriusque status *De jure necessitatis.* communis: *necessitas non habet legem.* Necessitas vero hic est casus, providentia divina contingens, quo quis in periculum mortis, vel damni irreparabilis conjicitur, ita, ut aut perendum sit, aut medium evadendi eligendum, quod norma alias repugnaret. Solem quidem pro defendendo necessitatis jure passim non pauca cumulari: ast summa sic brevibus potest concipi. Leges tam divini, quam humanae, tam affirmativae, quam negativae, tacitam continent necessitatis exceptionem; nisi media evadendi suppeditetur a malitia hominis, contumeliam Dei legis transgressionem intendens. Quamvis enim DEUS, atque interdum etiam legislatores humani, tam rigidam, ob singulare negotii pondus ac momentum, obligationem hominibus injungere queant, ut mortem potius eligamus, quam latum unguem ab illa recedamus; id tamen in casu dubio

bio non potest præsumi. Cùm enim leges in hominum salutem sint conditæ; legislatores quoque humanæ naturæ conditionem ob oculos habuisse censentur, quæ homo impellitur, ad eâ fugienda & amolicienda, quæ ad sui tendunt destructionem. (1)

CAP. III.

DE OFFICIO AC JURE
HOMINIS ERGA ALIOS:

SPECIATIM

DE NON TURBANDIS ALIORUM
JVRIBVS.

§. I.

*De off.
hom. er-
ga alios
in gene-
re.*

CUm autem homo non sibi soli sit relictus, sed in societate cum aliis a Deo collocatus; consequitur etiam, DEUM

(1) Quo posito fundamento, de variis, qui passim recensentur, casibus facillimum est judicium. v. gr. De abscissione membri facti; de naufragii periculo, vel alio ejusdem generis, cum interitu aliorum, amoliciendo, de contractatione rei alienæ ad vitam servandam; de facultate perdendi res aliorum in casu necessitatis &c. Conf. P. V. FEND. *de Off. H. ac C. L. I. c. V. §. 23. seq.*
B. Dn. THOMAS, Jurispr. div. L. II. C. II.

DEum velle, ut ita actiones suas institu-
at, ne communem societatis humanae fe-
licitatem, quippe cum qua singulorum
felicitas arctissimo nexu cohaeret, ullo
modo impediatur; sed potius pro viribus
promoveat. Hominum autem, in so-
cietate consideratorum, felicitas duabus
absolvitur partibus; pace atque amici-
tia. Quare duplex hic collocamus prae-
ceptum.

I. COLE PACEM CUM ALIIS.

II. COLE AMICITIAM CUM
ALIIS. Prius ex regula iusti fluit; (m)
alterum ex regula honesti & decori. De
posteriori pluribus agetur capite sequen-
ti; prius autem hic uberius explica-
bimus.

§. II.

Ut vero pax in societate mortalium vi-
geat floreatque, *ITA CUIQUE EST* Nemo
VIVENDUM, NE QUEMQUAM laderet
LAEDAT. Laesio enim pacem turbat,
tristesque belli calamitates post se relin-
quit

C. II. §. 123. seqq. Add. BEYERI *dolentat;*
jur. div. C. XII. pos. 59. seqq.

(m) Cuilibet enim jus connatum est, fruendi
pace, quamdiu neminem laedit. (n)

quit. Contra qui boni nihil in me con-
tulit, cum eo tamen quiete vivere pos-
sum, modo me non laedat. (n)

§. III.

*Quid fit
laedere.*

Per laesionem hic intelligimus quam-
cumque turbationem, corruptionem, di-
minutionem, aut ablationem juris alieni;
sive id connatum fuerit, (veluti jus confer-
vandi vitam, corpus, pudicitiam, liber-
tatem existimationem &c.) sive acquisi-
tum. Utramque enim juris speciem prae-
ceptum de nemine laedendo factam te-
statanque esse jubet; sive jus fuerit supe-
rioris, sive aequalis, sive inferioris; cum
omnes aequae sint homines. Non itaque
oportet vulnere alios, nec occidere,
nec libertate privare, nec contumelia af-
ficere, nec ipsis nocere mendacio nec fur-
tum committere, nec fidem datam vio-
lare. &c.

§. IV.

*Effectus
laesionis.*

Injusta laesionis effectus est *injuria*; in
sensu

(n) Conf. GROTIUS de I. B. ac P. L. II.
C. XVII. & PVFEND. de O. H. & C. L.
I. cap. VI. It. de I. N. ac G. L. III. C. I. Dn.
THOMAS. jurisprud. divina l. II. c. V.
juncto eodem cap. ex fund. J. N. ac G.

sensu latiori (o) accepta; quem & damni vocabulo itidem in latiori significato sumto (p) alii exprimunt. Cujus enim jura facto alterius, legibus prohibito, sunt violata; illi & injuria facta est, vel damnum illatum.

§. V.

Quodsi igitur superius, quod posui-^{De jure} mus, præceptum, de nemine lædendo, a^{exigen-} quoquam fuerit violatum, aliud obtine-^{di repa-} bit juris naturalis præceptum, ex priori^{ratio-} fluens: *INJURIAM ILLATAM ES-*^{juria.}
SE REPARANDAM. Vanum enim foret præceptum, quo læsio aliorum prohibetur, si damnum contra legem datum læso indistincte esset devorandum, & qui læsit, injuriæ a se illatæ fructu secure posset gaudere. Quid? quod rebus sic constitutis patientissimi quique prædæ malorum essent omnino expositi, nullo juris naturalis patrocínio muniti. Quare cuique jus esse debet integrum, injuriæ si-

H bi

(o) In sensu strictiori denotat speciatim contumeliam.

(p) Damnum in sensu strictiori denotat lesionem, quæ patrimonium, seu facultates alterius, afficit.

(q)

bi illatæ reparationem a lædente poscendi. *Jus hoc connatum est; quippe quod ex ipsa lege naturali proxime deducitur, atque ante omnia pacta locum habet.*

§. VI.

*Quous-
que i-
dem ex-
senden-
dum.*

Quod quidem jus eo usque extendimus, ut læso facultatem concedamus, poscendi reparationem damni; non solum quoad ipsam rei corruptæ, vel ablata *substantiam*, sed & quoad *fructus*, qui ex ista re proventuri sperabantur. Quorum æstimatio intenditur, aut remittitur, prout spes illa propior fuit, aut remotior, certior aut incertior. Quin imo *quicquid ex ejusmodi læsione, naturali effectuum consecutione, proficiscitur*; id omne lædenti ad reparationem imputatur. Qua impetrata, læsus quoque *cautionem de non ledendo in futurum* exigere potest, ita quidem, ut *in statu naturali* armis tam diu locus relinquatur, donec & de hac læso satis fuerit factum. *In statu autem civili* eandem judicis auxilio esse obtinendam, ex supra dictis jam est manifestum.

§. VII.

Quod obtinet, Ad hanc reparationem injuriæ obligatus est non solum, qui *immediate*, sed & qui

qui *mediate*, & per alios alterum læsit ; ^{licet cul-} *ve committendo*, sive *omittendo*, sive *dolo*, ^{pa tan-} *sive culpa* : (q) modo læsio ipsi possit im- ^{tum ad-} *putari*. De casu enim fortuito nemo or- ^{dit.} *dinarie tenetur respondere.*

§. VIII.

Quare manifestum est, a Domino non posse *De da-* quemquam jure naturali reparationem *mino a* postulare damni, a servo illius, aut *servo* quadrupede dati, & quidem sine ulla do- *aut a-* *mini culpa*. (r) Quamvis enim alii (s) in *dato.* *contrariam proni sententiam, allegent, i-* *niquum esse, ut quis imperio atque domi-* *nio suo in aliorum detrimentum utatur, ac* *lucrum cum damno alterius percipiat ; at-* *que adeo dominum aut ad vaxæ dedendum,* *aut ad reparationem damni esse obligatum ;* *facillime tamen ad hæc possumus respon-* *dere.*

H 2

(q) Dicendum hæc de gradibus culpæ. Conf. Dn. THOMAS. *dissertat. de usu distinct. culp.*

(r) Vnde recte GROTIUS *de J. B. ac P. L. II. c. XVII. §. 21.* statuit, actiones noxales esse inventum juris civilis Romani.

(s) PUFENDORFFIUS *de O. H. ac C. L. F. C. VI. §. 11. 12.* ac plerique juris civilis interpretes.

(t)

dere. Nempe qui jure tantum suo utitur, ille nemini facit injuriam : qui autem nemini facit injuriam, ille nec ad reparationem potest dici obligatus. Cum igitur dominus, mancipium, vel pecus, quod sine ulla ipsius culpa nocuit, retinens, jure tantum suo utatur ; adeoque nullum alteri detrimentum, quantum in se est, afferat ; consequitur profecto, nec jure naturali reparationem damni, aut deductionem noxæ adversus ipsum urgeri posse. Quod porro adducitur axioma, neminem ex damno alterius lucrum capere debere ; id quidem in se verum est ; at tamen minus concinne hic applicatur. Dominus enim, mancipium vel pecus retinens, nullum acquirit lucrum, sed tantum, quod suum erat, conservat ; adeoque non magis certat de lucro captando, quam læsus. In pari autem causa potior debet esse ratio possidentis. Quod si locuples fuerit mancipii vel pecoris dominus, læsus autem egestate laboret ; illum quidem regulæ honesti & decori obligant, ut afflicto e facultatibus suis afferat solatium ; hic autem precibus tantum uti potest, nil jure suo postulare.

§. IX.

§. IX.

Quod si forte plures ad damnum datum concurrerent; attendendum erit, utrum quidam causam egerit principalem, ac reliqui tantum auxiliatrices huic manus præbuerint; an vero pari omnes passu ambulent? item, utrum damnum fuerit dividuum, an vero individuum? porro utrum ex conspiratione, an vero sine hac nocuerint?

De damno a pluribus dato.

§. X.

Priori casu *reparationem damni solus* *Quid, si prestare tenetur;* qui imperio, vel simili *unus fuerit causa principalis?* coactionis genere alios ad nocendum impulit: reliqui, quamvis pro ratione circumstantiarum aliqua in civitate poena affici possint; (1) a reparatione tamen damni sunt immunes; quia instrumenta tantum fuere nequitia aliena, quæ damnum produxit.

§. XI.

Sed altero casu requiritur, ut omnes ad *Quid vero, si aequales fuerint?* *damnum reparandum* aequalia, aut pro ratione

H 3

(1) Quemadmodum & in statu naturali vindicta exercetur in milites, imperio alieno ad nocendum ductos.

(2)

ne influxus sui distributa *symbola conje-*
rant; modo re vera operæ aliquid ad da-
 mnum illatum præstiterint, sive ante per-
 petratum facinus, sive in ipso facinore, si-
 ve demum eodem absoluto. (u)

§. XII.

De da-
mno di-
viduo &
indivi-
duo.

Porro investigandum quoque est, utrum
 actus, quibus damnum fuit illatum, ita
 forte distingvi ac separari queant, ut mani-
 festo appareat, quæ cuique damni dati por-
 tio imputari debeat; (x) an vero secus se-
 res habeat? (y) *Priori casu* quilibet eam
 tantum damni partem, cujus ipse auctor
 fuit,

(u) Qui autem nihil realis operæ contulit;
 si vel maxime vitio quodam occasione il-
 lius facinoris se contaminaverit; (v. gr. i-
 dem laudando, vel excusando, nocenti fa-
 vendo &c.) in regulas quidem honesti &
 decori impingit; ad reparationem vero
 damni nequaquam est obligatus; quippe
 cujus ipse auctor nullo modo dici potest.

(x) E. gr. Plures socium forte una adoriun-
 tur, unus gladio instructus, alter sclopo,
 tertius fuste; ac quilibet eorum diversum
 pro ratione instrumenti sui, damnum læso
 infligit; tunc suum cuique sigillatim ordi-
 narie erit imputandum.

(y) E. gr. Plurium ope incendium ortum,
 quod ædes in cineres redegit.

(z)

fuit, pensabit : *posteriori* autem casu damnnum singulis ita potest imputari, ut vel unus ex illis ad solidi præstationem juste adigatur. Quo tamen facto, reliqui a reparatione damni sunt immunes; cum unum tantum damnnum adsit, cujus intuitu læso jam satis fuit factum. (z)

§. XIII.

Quod si vero plures damnnum ex con-^{Quid, si} spiratione dederunt, singuli in solidum ita ^{plures} sunt obligati, ut, si vel maxime damnnum ^{ex con-} fuerit dividuum, reliquis forte fuga elatione ^{tionis e-} pfis, aut non solvendo existentibus, ^{unus gerint?} nihilominus, qui superest, ad solidam reparationem possit adstringi. Cujus rei ratio est, quod in conspiratione quilibet socio- rum integrum damnnum sua voluntate approbavit, adeoque & pro ejus auctore recte in solidum hoc casu habetur. Quod secus est, quando plures sine conspiratione, casu velut fortuito, socii facinoris facti, læserunt.

§. XIV.

Quomodo autem, ubi de reparatione ^{Provo-} da-^{catio ad}

H 4

(z) Conf. PUFEND. de O. H. & C. L. I. c. VI. §. 8. it. de J. N. ac G. L. III. c. I. §. 5.
(a)

exempli.

damni quaestio incidit, aestimatio sit instituenda, id quidem ostendi optime potest exemplis: (1) homicidæ, (2) mutilatoris, (3) adulteri, (4) stupratoris, (5) furis, (6) raptoris, (7) ejus, qui dolo, aut metu iniusto causam dedit promissioni, (8) Regis ac magistratus, qui civium latrocinia & piraticam debitis remediis non impediunt. &c. (a)

§. XV.

De obligatione ac jure ad renovandam pacem, in st. N.

Denique quemadmodum pacis cultura generi humano ad communem salutem omnino est necessaria; atque adeo & læso cum lædente in concordiam utique est redeundum; ita & hic explicandum est, quæ cujusque hac in re partes esse debeant. Id quidem profecto manifestum est, pacem in statu naturali læso non posse quasi imperari, nisi eidem exacte sit satisfactum. Quare si quis alterum citra dotum malum læsit, paci conservandæ ita debet studere, ut ultro reparationem offerat, malitiamque a se abfuisse testetur, ne læsus ipsum pro hoste habeat armis-

(a) Conf. GROTIJ. de J. B. ac P. L. II. C. XVII. §. 13. PUFEND. L. III. c. 1. §. 7. seq.

(b)

nisque in eum insurgat. Quam obligationem partim regula justī, partim regulā honesti, decori ac prudentiæ lædenti injungunt. *Qui autem dolose alterum læsit*, ad pacem restituendam non solum ultro reparationem damni ex regula justī debet offerre, atque etiam de futuris, quæ forte metuuntur, læsionibus cavere; sed etiam regulis honesti, decori & prudentiæ obligatur ad poenitentiam sui facinoris demonstrandam, veniamque a læso petendam. Contra quoque *læsus*, quando hoc modo vere ipsi satis est factum, poenitenti ac deprecanti veniam largiri atque *cum eo in pacem redire tenetur*. Idque non solum regulæ honesti, decori & prudentiæ suadent, sed & certo modo ipsa justī regula præcipit. Quilibet enim, ceteris paribus, jus habet connatum, fruendi pace. Quod si itaque læsus vindictæ turpiter indulgeat, spretisque omnibus pacis remediis, igne, gladio & aliis ejusdem generis instrumentis cuncta devastare pergat; injustus etiam est, eo, quod lædenti jus, secum, positis ponendis, redeundi in pacem; coeco impetu turbare non desinit.

terim tamen, cum in hoc statu ultionis
 modus proprio lesi iudicio sit permitten-
 dus; Et ab ipsius pendere iudicio debet,
 utrum damnum satis sit reparatum, & cau-
 sio sibi sufficiens exhibita. Quamvis nec
 inficias ire quisquam possit, saepe ultio-
 nis libidinem victores decepisse. Potest
 vero etiam alios odium, vel arcana uti-
 litas permovere, ut læsum satis tutum fe-
 eorumque falso credant. Quare totum
 hic negotium conscientia læsi videtur re-
 linquendum. (b)

§. XVI.

*Appli-
 catio
 ad stat.
 Civ.*

Horum nonnulla in statu civili secus
 se habent. Communis enim Reipubli-
 cæ securitas istam non permittit liberta-
 tem. Quare & læso hic pax imperari
 potest, atque etiam legibus publicis ubi-
 que jam est imperata; quamvis sibi non-
 dum sit satisfactum, nec sufficienter cau-
 tum in futurum. Hæc enim civis magi-
 stratus auxilio debet impetrare, atque ab
 hujus etiam iudicio quoad ultionis & cau-
 tionis modum pendere.

CAP.

(b) Conf. PUFEND. de O. H. & C. cit. l.
 §. ult. Du. GUNDL. jurispr. nat. cap. VIII.
 §. 26. (c)

CAP. IV.

DE OFFICIIS HVMANITATIS.

§. I.

AD communem hominum felicitatem non sufficit, si a mutuis læsionibus abstineamus, ac pacem externam custodiamus; sed & amore mutuo alius alium complecti debet, atque sic mutua comoda promoverè. Nam qui se infestum mihi non præbet, is quidem ita mecum jungi potest, ut pax inter nos firma sit ac stabilis: ut autem amicum eum esse sentiam, atque arctiori nexu ipsi jungar, opus est officiis de propenso ejus in me animo testantibus. Quapropter aliud nascitur juris naturalis præceptum: *OMNIBUS HOMINIBUS, QUANTUM FIERI POTEST, BENE ESSE FACIENDUM, AD MUTUAM AMICITIAM STABILIENDAM.* Fluit hoc præceptum ex regulis honesti & decori. Qui enim secundum regulam honesti pravis intra pectus adfectibus resistit, is amore rationali aliorum hominum flagrare incipit. Qui amor rationalis deinde

Bene aliis faciendum.

inde & aliis decore est ostendendus, vultu, lingua, opere. Accedit regula prudentiæ: cum suam ipsius utilitatem non parum impediret, qui, hoc præcepto neglecto, nullam amicitia cum aliis colenda curam gerere vellet.

§. II.

*Quod fit
duplici
ratione.*

Bene aliis hominibus facere possumus duplici modo; aut indefinite, seu nullo certorum hominum respectu habito; vel definite, ut singularis certorum hominum ratio habeatur.

§. III.

Indefinite.

Fit illud indefinite, quando quis eam animi corporisque culturam exercet, ut ad talia inventa, talesque actiones aptus existat, quibus *in universum generis humani commoda* promoveantur. (c) Quare & secundum præceptum antea demonstratum cuilibet homini incumbit, ita animum ac corpus tractare, ut aliis utilis esse

(c) Quo nomine celebres sunt, qui agri colendi, vitis plantandæ, ferri cudendi rationem invenerunt; item, qui pixidis nauticæ usum, artem typographicam, pulveris pyrii modum similiaque tradiderunt.

(d)

se queat. Unde in idem præceptum im-
 mingunt omnia inutilia terræ pondera,
 fruges tantum consumere nata, sibi que
 pariter atque aliis molesta.

§. IV.

Definite aliis inservit, qui certis homini-
 bus id præstat, quod horum peculiaria
 requirere commoda videntur. Quod si
 citra molestiam nostram graviorem, ac si-
 ne impensis fieri potest, ad vulgare hu-
 manitatis officium refertur. Sin cum o-
 nere facientis conjunctum sit, sumtus-
 que requirat, beneficium appellatur.
 Quare & præcepto nostro cuncta damnan-
 tur, quæ humanitati, misericordiæ, be-
 neficentiæ, libertati, aliisque virtutibus,
 ad devinciendos hominum animos faci-
 entibus, ullo modo adversantur.

§. V.

Quantum ad vulgaria humanitatis of-
 ficia attinet, speciatim observandum est,
 nihil eo referri debere, nisi *res innoxie*
utilitatis, quæ sine ullo detrimento ac
 periculo præstari ab altero possunt. Un-
 de sequitur, salvo hoc præcepto, dene-
 gari posse, quod alter sub ratione officii
 humanitatis urget, si idem cum pericu-
 lo

2) *Definite.*

*De vul-
 gar. of-
 ficiis hu-
 manitatis.*

lo nostro, aut damno sit conjunctum. Amor enim rationalis debet esse recipro-
cus: & quemadmodum ego ad bene ali-
lis faciendum ex regulis honesti & decori
obligor; ita & his eadem regulæ injun-
gunt, ne mihi sint justo molestiores.

§. VI.

*Exem-
pla.*

Verissima vulgarium humanitatis offi-
ciorum exempla hæc sunt: aquam pro-
fluentem ad usum innoxium alteri con-
cedere; erranti comiter viam monstra-
re, res nobis superfluas aliorum usui per-
mittere, & similia; utpote quæ accipi-
enti utilia, nobis vero damnosa non
sunt. Contra inhonestum atque inde-
corum quam maxime foret, res, quibus
ipse non indiges, corrumpere malle,
quam aliorum usui largiri; fontem, ex
quo sitim levasti, obturare aut occulta-
re; signa itinerum confundere; & quæ
sunt generis ejusdem, animum maxime
inhumanum, amoreque omni vacuum,
fatis superque demonstrantia.

§. VII.

*De
transitu
persona-
rum.*

Quare innoxius transitus personarum,
si revera talis futurus sit, uti per terras flu-
minaque nostra concedendus est: ita ta-
men,

men, si pro insigni hominum, praesertim armatorum, numero petatur: si in periculum aut damnum qualecunque nos, amicos, vicinosque nostros conjicere possit; de inhumanitate nostra nemo queri juste potest, si ejusmodi de causa transitus fuerit denegatus. (d)

§. VIII.

Pari modo se res habet cum transitu mercium alienarum per nostrum territorium. Quemadmodum enim salva lege naturali, nemini tam inhumano esse licet, ut ejusmodi transitum, quem vicinus forte pro rebus ad victum *et* *omnium maxime necessariis*, iterum iterumque precibus decoris efflagitavit, denegare non vereatur; ita tamen nullo modo quis obligatus dici potest, ut mercibus superfluis, luxui unius atque avaritiae alterius inservientibus, transitum promiscue permittat. Saltem hoc casu integrum imperanti erit, postulare, ut sui cives lucrari, quod exteri captant, participes reddan-

(d) GROTIUS de J. B. ac P. L. II. c. II. §. 13. PUFEND. de J. N. ac G. L. III. C. III. §. 5.

(e)

stantur; aut etiam publicis Reipublicae suae commodis aliquid inde accedat emolumentum. Quare nec ægre ferre possunt transeuntes cum ejusmodi mercibus, si ea occasione Princeps *jure stapulae*, vel *geranti*, ut vocant, vel similibus sibi suaeque civitati consulat; cum officia humanitatis debeant esse reciproca; nec, qui poscit, ut suis commodis indulgeamus, nostris honeste atque decore adversari quidam. Quo jure etiam defendi possunt omnia *vectigalia*, tum *terrestria*, tum *fluviana*, tum *maritima*; modo nihil acerbitatis contineant. (e) Quid quod pactis talia inter imperantes solent firmari, atque ad jus certum reduci.

§. IX.

De receptione peregrinantium ad litus.

Dubitari quoque non sine ratione potest, utrum ad officia humanitatis simpliciter spectet, ut litus nostrum prae-tervehentibus facultatem permittamus, ad illud

(e) Notandus hic PUFEND. qui L. III. C. III. de J. N. ac G. §. 7. in eo aliquid humani passus est, quod vectigalia per freta impugnare studuit. Quod singulares Suecorum adversus Danos rationes procul dubio effecere. Conf. BARBEYR. ad istum locum it. GROTI. cit. §. 13. 14.

illud accedendi, atque in eo, valetudinis reficiendæ gratia, aut alia justa de caussa, aliquantisper commorandi? *Paucis* enim atque inermibus, vi ventorum, aut alia urgente necessitate, in littus nostrum e-jectis, accessum denegare velle, quam maxime foret inhumanum: sed ut quis *insignem* hominum ignotorum *multitudinem* sine discrimine admittat; id quidem regulæ honesti, decori & prudentiæ non suadent. Neque peregrini mercatores *continuum accessum* gratis postulare possunt: sed eadem, quæ paragrapho præcedenti diximus, hic quoque sunt applicanda. (f)

§. X.

Potest etiam contingere, ut sedibus <sup>De recepti-
one
eorum,</sup> suis pulsi perpetuam in nostra civitate <sup>qui se-
des si-
xas qua-
runt.</sup> quarant habitationem. Quodsi tales non ob turpia facinora, sed præter meritum expulsi fuerint, neque ullum *Rei-publicæ damnum vel periculum* inde metuendum; salvis regulis honesti, decori & prudentiæ, nec talibus receptio posset

I

set

(f) GROTIUS. cit. cap. §. 15. PUFENDORF. cit. cap. §. 8.

(g)

set denegari. Quodsi vero non innoxia foret receptio, secus pronuntiandum. (g)

§. XI.

*De aliis
questio-
nibus.*

Ex dictis facile quoque decidi possunt quæstiones *de hospitalitate*, de *usu fori* & *commerciorum* exteris concedendo, nec non *de libertate matrimoniorum* cum nostratibus ipsis permittenda, & quæ sunt alia generis ejusdem. (h)

§. XII.

(g) PUFEND. *cit. cap. §. 10.* Quod vero ZIEGLERUS *ad §. 16. cit. cap. Grot.* putat, diffusum in religione justam præbere denegationis causam; id quidem nimium religionis dominantis studium; rectæ rationi adversum, sapere videtur. Officia enim humanitatis hominibus, quæ talibus, debentur; non quatenus sunt huic, vel illi sectæ addicti. Judæi quondam, falsæ philosophiæ principiis occæcati, alios à fructu officiorum humanitatis excludere. Quod exemplis ostendit BARBEYRACIUS *in præfat. ad maj. ap. Pufend. vers. Gall. §. 7. circa fin.* Utinam multis Christianorum saniora essent præcordia.

(h) Vid. Pufend. *cit. cap. §. 9. 11. seqq.* Add. GROT. *cit. cap. §. 18. seqq.*

(g)

§. XII.

Quodsi vero & sine ulla justa causa ^{De jure} talia fuerint denegata; in regulam ^{humani-} justitiam tamen non est peccatum; cum nullum ^{tatis} ad officia humanitatis jus proprie ^{tum in} dictum, (quod perfectum vulgo vocant,) ^{St. N.} nobis competat, sed tantum facultas eadem ^{tum in} decoris precibus impetrandi: quibus si locus non fuerit relictus, de injuria queri non possumus. Quare nec arma in statu naturali eam ob causam licet adhibere; nec in statu civili actionem instituire forensam. (2)

I 2

§. XIII.

(2) In transitu quidem mercium ad vitam sustentandam omnino necessariorum exceptionem a regula admitto. Qui enim hunc in casu necessitatis, (quamvis raro,) denegat, jus, quo vicini gaudent, vitam conservandi, turbat; adeoque non solum inhonestus est, atque indecorus, sed & injuriosius in vicinos adeoque justam ista denegatio violentiæ bellicæ causam præbet. Quando vero GROTIUS *cit. cap. §. 13.* existimat, *posse etiam transitum personarum, modo prius a territorii domine fuerit postulatus, denegatione sequuta, armis vindicari; me non habet consentientem.* Dissenserunt quoque ab eo Commentatores, OSIANDER ac ZIEGLERUS. Neque

ea

§. XIII.

*Beneficii
descri-
ptio.*

Sublimior humanitatis gradus est, si ex singulari benevolentia gratis aliquid; impensa, aut opera nostra laboriosa constans, in alterum conferamus: quod beneficium appellatur.

§. XIV.

ea quæ KULPISIUS *in Colleg. Grot. ad cit. cap. thes. VI.* pro defendendo Grotio adducit, tanti sunt ponderis, ut in ejus decisione tuto acquiescere queamus. Jus enim humanitatis, quod urget, & quo jus imperii putat restringi, non est jus proprie dictum; sed tantum juris, ut vulgo loquuntur, imperfecti rationem habet; adeoque violenta remedia non admittit. Quid? quod justæ semper imperanti causæ esse possunt, ne armatam manum, quamvis transitus sit necessarius, intra fines suos recipiat. Pari modo sentiendum, quando GROTIUS *cit. cap. §. 16. 17.* & cum eo KULPISIUS *cit. l. Thes. VII.* arbitratur, jus perpetuo habitandi illis competere, qui sedibus suis expulsi receptum querant; dummodo imperium, quod constitutum in civitate, subeant, & quæ ad vitandas seditiones sint necessaria: atque hoc posse etiam, si quid intra territorium populi sit deserti ac sterilis soli, occupare. Violenta enim ejusmodi occupatio foret injustissima, si vel maxime (quæ mens est Grotii & Kulpisii) tantum esset occupatio posse-

§. XIV.

Quemadmodum autem ad amicitiam in commune emolumentum stabilendam non sufficit, res innoxie utilitatis, quas vocant, aliis largiri, adeoque vulgari tantum humanitatis officio satisfacere: ita consequitur, ut iste finis obtineatur, atque animi magis devinciantur, Deum velle,

Obligatio ad benef.

13

velle,

sessionis, non juris, seu proprietatis vel imperii. Qui enim possessionem aliorum turbat, injustus omnino est promuntiandus. Patienter itaque receptis denegatio ferenda, alibi que sedes querenda. Porro minus accurate GROTIUS §. 18. seqq. & KULPISIUS Thef. VIII. censent, dari jus aliquod commune populis inter se invicem ad actus, quos humana vita desideret: quo referenda facultas emendi res venales vendendique suas, ambiendi ac obtinendi matrimonia, aliosque actus exercendi, quos populus aliquis promiscue exteris ex libertate naturali concedat: tunc enim unum populum sine injuria non posse excludi ab equali libertate. Recte enim opponimus, casum numquam existisse, neque spem esse, ut unquam existat, quo populus omnibus ac singulis gentibus, sine fine ac modo, jus concesserit, nec concessurus sit, ad actum aliquem jure naturali stricte haud debitum, qui alicujus sit momenti.
 Conf. PUFEND. cit. cap. §. 14.

(k)

velle, ut majora edant invicem amoris rationalis documenta. Regulae itaque honesti & decori non infimum tantum amoris gradum, sed & alterum, de quo jamjam dixi, injungunt. Accedit regula prudentiae; cum suis quoque commodis non male consulat, qui beneficiis aliorum animos sibi conciliat.

§. XV.

Modus in benef. servandus. Non tamen promiscue beneficia sunt distribuenda; sed modus, quem & indicatae regulae ostendunt, in iis optime est servandus. Beneficia enim *praestanda dignis; & quos nosti.* Qui enim dissoluta liberalitate beneficus foret in quoscumque, & vel indignissimos; is profecto vitiosum animi affectum proderet, sibi que ac aliis noceret, adeoque partim inhonestus atque indecorus foret, partim etiam imprudens. *Non tamen nimis scrupulose dignitas ejus, qui beneficio indiget, sciscitanda;* cum sub hac herba turpis avaritia possit latere. Porro *grata atque utilia esse debent alteri, dante que non indigna;* alias enim contra regulas prudentiae male sunt applicata. *Post non sunt in vitis obtrudenda;* cum & hoc sit inho-

inhonestum, indecorum ac imprudens.

Abesse etiam debet gaudium de indigentia alterius, item contemptus ejusdem: quippe quæ iisdem regulis sunt adversa. Promte atque hilari fronte præterea sunt ex regula prudentiæ conferenda: bis enim dedisse censetur, qui cito dedit; hilarisque, qui beneficium comitatur, vultus accipientem sæpe magis recreat, quam ipsum beneficium. Denique non decet in distribuendis beneficiis certam habere præmiorum rationem: Quippe quod avaritiæ est indicium. (k)

§. XVI.

Qui beneficium accepit, ad gratum animimum est obligatus, ita, ut beneficium sibi acceptum fuisse agnoscat non solum, sed & declaret, dantiq̄ faveat, & paria referendī occasionem quærat. Grati-^{De gra- titudi- ne.} tudinis tres vulgo constituuntur gradus: *habere grates, easdem agere, nec non referre.* Uti autem habere grates atque agere non sufficit, si easdem ipso opere referre possis: ita contra, ubi posterius

I 4

in

(k) Conf. Dn. THOMAS. *introd. ad Philos. moral. C. VI. §. 52. seqq.*

(l)

in viribus tuis positum non est, satis officio fecisti, si grata beneficium mente recolueris, gratesque egeris benefactori. Neque in relatione gratiæ necesse est, ut idem, aut tantundem in alterum referamus. Quemadmodum enim exsuperare beneficium reponendo pulcrum est; ita, si tenuiores fuerint vires; laudandus tamen est conatus, quo in id incubuisti, ne alterum beneficii cum ratione poenitere queat. Quæ omnia regulæ partim honesti & decori, partim prudentiæ inculant.

§. XVII.

De recusat. beneficii.

Quodsi autem forte justæ tibi, sint rationes, quare alteri hoc modo obstructus esse nolis; licebit oblatum beneficium humaniter deprecari, ac decenter recusare: aut si importunis alterius precibus fatigatus beneficium admittere cogaris; poteris paria statim referre, atque adeo efficere, ut obligatio, cujus continuatio tibi molesta videbatur, mox bona alterius pace expiret.

§. XVIII.

Nullum hic jus cogendi locum habet.

Quemadmodum vero ad ipsa beneficia nemo cogi potest in societate humana:

na:

na: ita nec ad grates habendas, agendas aut referendas violentis aliquem remediis permovere fas est, sive statum naturalem, sive civilem consideres. Qui enim hac in parte rationes officii non explevit, inhonestus quidem, nec non indecorus atque imprudens merito audit; iniustitiæ autem, quæ bello in statu naturali, atque actioni in statu civili locum facit, nemo ipsum poterit accusare. Quare recte pronuntiant, qui actionem ingrati non concedendam arbitrantur. (1)

CAP. V.

DE OFFICIO AC JURE
PACISCENTIUM.

§. I.

Quodsi cuncti mortalium sapientia, ^{Origo} ^{pactio} seu ^{rum}

I 5

(1) Quæ est SENECEÆ sententia *Libr. III. de benefic. cap. 7.* Cui adstipulatur GROTIUS *de J. B. ac P. L. II. C. XX. §. 20.* Neque alicujus sunt ponderis, quæ objecit ROELERUS *dissert. de actione adversus ingratos.* Declamatoriis enim vir celeberrimus usus est rationibus, atque in exemplis adductis ingrati tudinem simplicem a qualificata, quam vocant, quæ cum injuria in benefactorem est conjuncta, non satis caute distinxit. (a)

seu propensione in bonum, perfecte fuissent præditi; pacem non solum singuli cum aliis coluissent exacte, sed & ad amoris rationalis mensuram juribus suis cessissent sponte ac lubentissime, ut commoda aliorum promoverent. Ast cum semper verum fuerit, quod vulgo dicimus: *virtus laudatur & alget*; ac nihilominus unus alterius ope semper indiguerit; hinc pactis suæ pariter securitati ac utilitati magis prospiciendum duxerunt.

§. II.

Definitio pacti.

Est autem pactum duorum vel plurium in idem placitum consensus, juris transferendi, atque obligationis constituendæ gratia.

§. III.

De obligatione ad fidem servandam.

Quæ cum ita sint, pacta quoque obligationem producere manifestum est. Præceptum enim legis naturalis est. **FIDEM PACTO FIRMATAM SERVARE.** Cujus præcepti fundamentum explicatum est facillimum. Quando nempe in pacto consensu meo id egi, ut alteri jus constituerem, eo quoque ex regula justitiae naturalis obstrictus sum, ut jure suo alterum

terum quiete frui patiar. Quod ni facerem, injurius in ipsum forem, vindicandæque adeo adversus me injuriæ viam sternerem. Quid? quod & hac agendi ratione turpissima dolosi deceptoris macula me ipsum conspurcarem, adeoque & in propria commoda imprudentissime peccarem. (a)

§. IV.

Pactum aliud dicitur unilaterale; aliud bilaterale. Illud est, quando unus tantum promittendo se debitoris instar obligat, alterumque creditorem constituit. In posteriori autem uterque tum promittendo se obligat, tum alterum sibi vicissim obstrictum reddit; adeoque uterque partim debitoris partim creditoris personam agit.

*Diviso
pacti.*

§. V.

(a) Conf. GROTI. de J. B. ac P. L. II. c. XI. §. 1. ubi in eo est, ut refellat FRANCISCUM CONNANUM, quod pacta nuda nullam jure naturæ ac gentium obligationem inducere existimaverit. Cui tamen aliam fuisse mentem putat KULPISIUS in Coll. Grot. notatus ea propter Dn. GUNDLINGIO in jurispr. nat. c. X. §. 25.

(b)

§. V.

*Consensus
mutuus re-
quiri-
tur.*

Quod ut rite fiat, consensu opus est reciproco, qui promissione & acceptatione (b) absolvitur. Quemadmodum enim nemo alterum, in quem nullum sibi est imperium, invitum obligare, ejusdemque libertatem jure circumscribere valet: ita nec mea alteri invito cum ratione possum obtrudere.

§. VI.

*Unde
differt
a pollici-
tatione.*

Quare ubi nulla acceptatio, ibi nullum quoque pactum. Atque adeo pollicitatio, qua quis sponte DEO (c) atque

(b) Potest tamen acceptatio præcessisse, quando nempe alterum rogavimus, vel ex eo quasivimus; utrum hoc vel illud promittere velit. Modo hoc casu promissum desiderio alterius exacte respondeat.

(c) Quando Deo aliquid promissum, speciatim dicitur votum. Ad quod recte concipiendum, requiritur; (1) ut vovens maturioris sit ætatis ac sui arbitrii; (2) ut consulto ac sponte sit conceptum; & quidem (3) de re honesta, Deo grata, quæque in nostra est potestate. Votum ita conceptum ex regulis honesti & decori libere est servandum. Quod autem his requisitis est destitutum, id quoque irritum est pronuntiandum. Ex his fundamentis facil-

que Reipublicæ aliquid promittit, nemine speciatim acceptante, non parum a pacto distat.

§. VII.

Consensum porro oportet esse serium *Consensu quo requiritur serius ac specialis.* Qui itaque per verba honoris, vel jocum, aliquid promittit, non paciscitur, nec se alteri reddit obligatum; quamvis in regulas honesti & decori impingat, si ejusmodi promissionibus indulgeat, atque in iisdem vanam querat voluptatem. Pari modo nec ad assertiones generales, qua homines exponunt, se jam hoc vel illud cogitare & velle, pacti naturam habent. (d) Negari autem

facillime superstitiosa Ethnicorum, Judæorum ac Christianorum vota poteris æstimare; atque etiam de jure cogendi ad vota explenda, quod alii passim homines, imprimis Clerici, sibi sumunt, judicare. Conf. Dni. THOMAS. *dissert. de desertione ordinis ecclesiastici, præsertim §. 5. 11. 17. 18. 32. tit. Fund. J. N. ac G. L. II. C. VII. §. 7.*

(d) Exemplo possunt esse eruditi, qui de eisdem his vel illis scriptis magnifice sæpe verba publice faciunt. Huc etiam pertinent assertiones generales, de altero aliquando herede scribendo: Conf. Domini THOMAS. *dissert. de obligatione expressione rei incerta.* (e)

autem non potest, sapissime hoc modo spondentes vanam sectari gloriolam, atque adeo parum honeste, decore ac prudenter agere.

§. VIII.

*Non
suffici-
enter de-
claratus.*

Præterea, quando partes adhuc delibent, nec dum certi quid promissum, aut acceptatum est, tractatus tantum adfunt, a quibus alter sine alterius injuria potest recedere; pacti autem forma nondum apparet; quippe ad quod consensus requiritur sufficienter declaratus.

§. IX.

*Modus
decla-
randi
diver-
sus.*

Declaratur consensus vel disertis verbis, ore prolatis, aut scriptura conceptis; vel ex facto notissimo & satis perspicuo colligitur. Priori casu consensus dicitur expressus: altero tacitus. Ubi autem de diserto alicujus consensu constat, ibi taciti non habetur ratio; nisi protestatio, ut vulgo loquimur, facto sit contraria; quippe quæ nihil operatur. Ceterum non oportet tacitum consensum confundere cum præsumto. (e)

Hic

(e) Confundunt alterum cum altero non pauci interpretes juris Romani. Nec ab

ista

Hic enim proprie consensus dici nequit; cum & ignorantia ac diserte protestanti tribuatur, & quidem in casibus, ubi nullus ad obligationem consensus est necessarius; sed eadem proxime ex dispositione legis naturalis potest demonstrari. Quare nec præsumtus consensus singularem in jurisprudentia naturali usum præstat. (f)

§. X.

Posthæc eum, qui cum effectu promittere vult, facultatem consentiendi, tum ^{consentiendi ad-} physicam, tum moralem, oportet habere ^{esse de-}. Illa intellectum ac voluntatem complectitur: (g) hæc legis approbationem; quæ eo minus negligenda, quo magis certum est atque evictum, pacta obligare

ista confusione se immunem præstitit PUFEND. de J. N. ac G. L. III, C. VI. §. 2. & alibi. Accuratam autem utriusque distinctionem deprehendes in Dni. THOMAS. Jurispr. div. L. II. C. VII. §. 19. seqq.

(f) Quod exemplis illustrabo.

(g) Quare evidens est, infantes, futiosos, mente captos, summe ebrios pactis non obligari; cum nec intelligant, nec velint. Et imputet sibi, qui cum talibus pactio- nem iniit.

(b)

re ope legis. Qui itaque pactum valeret, cujus momenta circumstantia legi sunt adversa?

§. XI.

De errore.

Intellectum in consensu quamvis certo modo error impediatur; dum errantes, qua tales, non intelligunt, quid agant; non tamen ordinarie pactum eo ipso redditur irritum. Cum enim error ordinarie vinci possit ac debeat; hinc & idem *in casu dubio imputatur erranti.* (h) Quodsi autem alter paciscentium erroris causa est; ad reparationem damni erit obligatus, non ideo, quod erratum est, sed quia sua culpa alteri damnum intulit. Porro quando erratum est circa conditionem discrete adjectam, vel ex indole negotii tacite subintellectam; (i) pactum est nullius momenti.

§. XII.

(h) Distinctio Jctor. vulgaris inter errorem circa essentialia & accidentalia negotii obscura est & nullius momenti. Conf. Dn. THOMAS. *in notis ad Lancellotti Instit. Juris Canon. p. 850. seqq.*

(i) Exempli loco esse potest conditio virginis, quando quis foeminam inuuptam in matrimonium duxit.

(k)

§. XII.

Quodsi dolus ab altero paciscentium *De dolo.*
 est adhibitus, in decepti arbitrio positum
 est, velitne pactum declarare irritum;
 an vero, hoc servato, reparationem da-
 mni, quod dolo alterius sibi contigit,
 postulare. (k) Qui enim dolo suo me
 in pacto læsit, nullum ex facto suo, legi-
 bus omnino repugnante, jus potuit ac-
 quirere; adeoque nec de injuria queri
 valet, si ego a pacto recesserim. Id au-
 tem, quod de reparatione damni, serva-
 to pacto, adjeci, ex iis, quæ supra expo-
 sui, perquam est manifestum. Sin forte
 dolus a tertio provenit; hic me inde-
 mnem debet servare; pactum autem fir-
 mum manet ac stabile. Dolus enim ter-

K tit

(k) PUFENDORFFIUS *de O. H. ac C. L. I.*
C. IX. §. 13. perperam distinguit inter do-
 lum, qui causam dedit pacto, & eum, qui
 incidens dicitur. Hæc enim distinctio, ab
 interpretibus juris civilis petita, nullius est
 usus in jurisprudentia naturali. Quid?
 quod celeberrimus Jctus Batavus GER-
 HARDUS NOODT *libro singulari de for-
 ma emendandi doli mali. C. III.* ostendit,
 ejus ne quidem in jure Romano funda-
 mentum existare.

(1)

tii non potest impedire, quo minus compaciscens jure, quod ex pacto legitime acquisivit, integro fruatur.

§. XIII.

De coactione.

Ad consensum in pacto necessarium requirunt quoque Doctores voluntatis libertatem, ita quidem, ut non paucis coacta voluntas non sit voluntas. Quod tamen non omnino verum esse supra jam demonstravimus. (l) Distincte itaque hic est agendum. Nempe vis, cogens voluntatem, aut grata est, aut adversa. Illa cogit voluntatem illecebris, passioni, quam vocant, dominanti, accommodatis. (m) Hæc est, quando representatione malorum, quæ affectus hominis detestantur, metus animo incutitur. (n) Sive autem priorem, sive posteriorem vim cogentem accurata lance pensaveris; utique deprehendes, hominem nihilominus sponte agere; adeoque & voluntatem, hac ratione coactam, esse tamen

(l) Part. general. cap. I. §. 23. 26.

(m) E. gr. nummis, honoribus, blanditiis & quæ sunt generis ejusdem.

(n) Huc pertinet metus dolorum, ignominie, mortis. &c.

men voluntatem, nec totum actum posse dici involuntarium. Quare nec promissum ob ejusmodi coactionem ideo potest irritum pronuntiarī, quod plenissima libertas defecerit. Hæc enim nunquam adest; cum mortalium actiones spe ac metu ordinariè regantur; adeoque vis cogens eos ad agendum impellat.

§. XIV.

De metu interea specialius est agendum. Hic autem mox denotat suspicionem, fore, ut ab altero decipiamur; mox vehementem animi terrorem, ex representatione mali ejusdem gravioris ortum. Prioris generis metus efficere nequit, ut pactum sit irritum. Quod si enim hic pactum antecessit, stultus fuit metuens, quod pactum nihilominus perfecit: ipsum autem pactum sine læsione juris alieni non potest propterea rescindi. Sin ejusmodi suspicio post firmatam pactionem oritur, ac solido nititur fundamento, possum impletionem ejus, quod mihi incumbit, tamdiu differre, donec de dolo, quem cum ratione metuo, satis mihi cautum fuerit.

K 2

§. XV.

§. XV.

*De metu
pro ve-
bemente
animi
terrore
accepto.*

Metus, vehementem animi terrorem denotans, si a tertio illatus fuerit, & pacti occasio exstiterit; (o) hoc erit validum. In altero enim pacifcente nulum deprehenditur vitium, quod obstare queat, quo minus jus sibi acquirere possit. Quid? quod is, qui metum mali mihi imminentis discussit, si vel maxime pactus mecum non fuisset, primum tamen ex regula honesti & decori a me expectare posset. Sin compacifcens ipse metum ejusmodi citra jus ac fas (p) mihi incussit, pactum est irritum. Quoniam metus iste injustus, legi naturali adversus, incapacem eum reddit, ut ex promissione metu extorta jus acquirat. Stupenda enim esset contradictio, injustam ejusmodi vim prohibere, ac nihilominus concedere, ut ejus ope quis jus sibi parare queat. (q) §. XVI.

(o) Exemplo esse potest metus a latronibus vel piratis incussus.

(p) Metus enim justus, ratione inferentistalis, pactum non reddit irritum. v. gr. metus reverentialis; quo magistratum ac parentes colimus.

(q) PUFEND. de J. N. ac G. L. III. C. VI. §. 10. seqq.

§. XVI.

Poffumus pacifci tum de rebus, tum ^{De obje-}
 de actionibus. Facta autem oportet ef- ^{cto pa-}
 fe poffibilia ac licita: Quid? quod nec ^{ctorum.}
 de factis aliorum fine discrimine licet
 pacifci. Idem & de rebus alienis di-
 cendum.

§. XVII.

Qui impoffibilia ferio promittit, aut ^{De pro-}
 deceptorem agit, aut fufficiente usu ra- ^{miſſi im-}
 tionis deſtituitur. Priori caſu promiſ- ^{poſſo.}
 ſor alterum indemnem ſervare ac de do-
 lo ipſi fatiſfacere tenetur. Idem dicen-
 dum, ſi initio quidem in poteſtate pro-
 miſſoris promiſſum fuit; poſtea vero hic
 dolo, aut culpa ſua effecit, ut jam nullo
 modo præſtari poſſit. Sin tale quid ſine
 ulla promiſſoris culpa poſt promiſſum
 contigit, & res adhuc integra eſt, ita, ut
 neuter quid præſtiterit, pactum ſimplici-
 ter evadit irritum. Quod ſi alter aliquid
 præſtiterit, aut idem, aut tantundem eſt

K 3

re

ſuqq. GROTIUM hac in re decipit jus
 Romani, quod in ſe valida eſſe ejuſmodi pa-
 cta, ſed deinde reſcindenda cenſuit. *de J.*
B. ac P. L. II. C. XI. §. 7.

(r)

restituendum; saltem summo conatu id agendum, ne citra meritum alter damno afficiatur. Quando vero ob deficientem rationis usum quis impossibilia promisit, pactum itidem est nullius momenti; atque imputet sibi, qui cum tali pactionem iniit, siquid inde damni in ipsum redundet.

§. XVIII.

*De promissione
rei illicite.*

Qui illicitam promisit, ideo non potest dici obligatus ad promissum præstandum, quod leges factum prohibuerunt. Quemadmodum enim promittens tali in casu sola jam peccavit promissione; ita cresceret peccatum, si promissum turpe vellet præstare. Pari quoque modo de acceptante pronuntiandum; quippe qui & prima jam acceptatione satis animum vitiosum declaravit. Quapropter, re adhuc integra, pactum evanescit. Et quamvis ille turpe facinus fuerit executus; hic tamen nec ad promissam mercedem solvendam, nec ad damni reparationem illi est obligatus; cum pactum inde ab initio nullum fuerit. (r) Quod autem

(r) Notandus hic GROTIUS, qui L. II. C. XI.

autem datum jam est, repeti, velut indebitum, jure naturali non potest: cum in pari causa potior sit ratio possidentis. (s)

K 4

§. XIX

XI. §. 9. existinat, mercedem promissam esse solvendam, cum peracto crimine cesset vitium promissionis, quippe qua non amplius invitet ad peccandum. Verum ex dictis patet, vitium hic non cessare, sed potius augeri. Et quis credet, minus esse turpe, dare & accipere mercedem sceleris, quam promittere eandem ac sperare? Quid? quod hic sufficit, pactum vitiosum fuisse ab initio, nullamque jure obligationem producere potuisse; Licet jam non amplius invitet ad facinus perpetrandum. Hoc tamen facile concedam, promissorem mercedis de injuria queri non posse, si ab altero malo quodam ob non servatam fidem mulctetur; cum damnum, quod quis sua malitia sentit, sentire non videatur. Recte itaque a Grotio dissentit ZIEGLERUS & KULPISIUS ad cit. locum; it. PUFEND. L. III. C. VII.

(s) Addit quidem PUFEND. cit. Cap. §. 9. limitationem, modo non alteri dolus & enormis laesio accesserit, ut in meretrice, adolescentem magna argenti summa emungente. Sed vereor, ut haec, si leges civiles nullas facimus, sole jure naturali locum sit habitura. Nec admitto repetitionem ejus, quod ob turpem causam datum erat, si vel

§. XIX.

*An lice-
at paci-
sci de re-
bus alic-
nis?* Porro paciscendum ordinarie esse de
re sua, non aliena, antea diximus, quod
nunc specialiter est inculcandum. Qui
de alterius rebus, hoc invito, & in ipsius
de-

si vel maxime turpitudine sit solius accipien-
tis. Quamvis enim, quæ supra de pari-
tate causæ dixi, hic non possint applicari;
sunt tamen alia momenta hic ponderanda.
Nempe aut dedit quis alteri turpiter acci-
pienti in salutem tertii, aut sui ipsius emo-
lumentum. Prior casus contingere potest,
si latroni quid dederim, ut a læsione ter-
tii abstineret. Tunc enim valuit promif-
sum, quia latro mihi metum injustum
non incussit, adeoque nec in me fuit in-
jurius. Quod itaque ex valido promisso
dedi, ad ductum solius juris naturalis non
possum repetere ob turpitudinem accipi-
entis. Quamvis enim hic turpiter agat;
sufficit tamen, ipsum mihi injuriam nul-
lam intulisse, sed sponte oblatum acceptas-
se. Sin injuriam tertio illatam allegare
vellem; hæc foret exceptio de jure tertii.
Alterum quod posui, membrum, illustrari
potest exemplo judicis injusti, qui turpiter
aliquid accepit ab actore, de justitia qui-
dem causæ suæ satis certo, sed metuente,
ne iudex injustus atque avarus gratis sibi
justitiam non administraret. Dedit hic a-
ctor sui commodi gratia: Iudex accepit
tur-

detrimentum, pacisci vellet, injuriam alteri inferret, adeoque in regulas justitiae peccaret. Quando autem pactum de re aliena ita est comparatum, ut domino rei nullum eo ipso detrimentum concilietur, sed potius ejus commoda promoveantur; tunc nullum est dubium, quia pactum ejusmodi sit validum. (r)

§. XX.

Similiter nec de factis aliorum, qui potestati nostrae non subsunt, juste pacisci possumus: nisi forte sensus sit, te daturum operam, ut alter faciat. Alias enim libertas, qua alter jure suo fruitur,

It. de factis alienis?

K 5

inju-

turpiter: nec tamen ex solis juris naturalis principiis datum repeti potest. Sponte enim dedit actor, nec dolo judicis, nec injusto metu ab eo adactus; adeoque nec de injuria queri potest, cum volenti non fiat injuria. Ubi autem nulla injuria, ibi jus deficit, reparationem damni postcendi. Quid? quod nec verum hic damnum allegari potest. Damnum enim, quod quis sua voluntate sentit, non deceptus, non injusto metu compulsus; id profecto morali aestimatione sentire non videtur.

(r) v. gr. Si pactum tendat ad rei custodiam, conservationem, administrationem, absente domino.

(u)

injuste conculcatur, si ipsum invitum velles ad faciendum obstringere. Quod si vero absolute factum alienum promissisti, ad præstandum id, quod interest, merito obligaberis. Priori autem casu officio satisfecisti, si omnem navasti operam, ut alterius factum sequeretur.

§. XXI.

It. de rebus & actionibus non stris, in quas alius jus est? Neque etiam de rebus & actionibus meis, in quas alteri jam jus est questum, libere possum pacisci. Prioris enim jus debet esse potius: quare aliis non, nisi hoc finito, jus ejusmodi constituere, aut in eventum promittere possum. (x)

§. XXII.

(u) In eventuali autem hac promissione vulgo requirunt, ne ejusmodi casus adsit, quem optare velle, turpe sit promissori. Provocatur ea in re ad exemplum mariti, foeminae alicui, vivente uxore sua, in casum, si hæc e vivis ante ipsum excesserit, matrimonium promittentis. GROTIUS equidem *de J. B. ac P. L. II. C. XI. §. 8. n. 3.* existimat, hanc promissionem naturaliter obligare. A quo dissentiunt cum aliis ZIEGLERUS & HENNIGES *in suis observat. ad c. l.* ejusmodi promissionem, quamvis conditionatam, moraliter turpem ac nullam arbitrati. Ego vero existimo,
non

§. XXII.

His ita expositis, modus promittendi *Modus*
 diversus, quem in pactis observamus, *promit-*
 paucis adhuc est explicandus. Aut enim *tendi di-*
 pure promittimus; aut sub conditione: *versus.*
 sæpe etiam certus dies ac locus adjici-
 untur. Quid? quod non solum per nos
 ipsos, sed & per alios pacisci possumus.

§. XXIII.

Pura promissio omnino perfecta est, *De pro-*
 alterique, ni dies adjectus fuerit, aut cer- *missione*
 tus locus, jus tribuit, præstationem e- *pura.*
 jus, quod promissum erat, statim urgen-
 di: ita tamen, ut ex regulis honesti & de-
 cori aliquod temporis intervallum sit
 indulgendum.

§. XXIV.

non deesse, quod pro defendendo Grotio
 possit adduci. Verum quidem est, pactum
 hoc continere vitium; cum vix concipi
 possit, qua ratione sine pravo adfectu quis
 ejusmodi pactionem inire queat. Repu-
 gnat itaque regulis honesti ac decori. In
 societate autem humana, si leges positivas
 seponimus, actus tantum injustos nullos
 possumus pronuntiare. Quodsi enim omnia
 pacta inhonesta atque minus decora irri-
 ta forent declaranda, quæ quæso subsiste-
 rent?

(x)

§. XXIV.

De conditionata. **Conditio** vero a futura eventu *specia-*
li atque incerto promissi validitatem sus-
 pendit. Quare interim spes tantum est,
 debitum iri, aut promissi validitatem ef-
 se duraturam. (x) In *presens* vel *pre-*
teritum tempus conditio non adjicitur,
 nisi sensus sit: si probaveris, hoc, vel
 illud presens aut prateritum esse. Nec
 conditio dici meretur momentum, quod
 generaliter cunctis promissionibus in-
 est. (y) *Incertum* porro quidem oportet
 esse eventum, non impossibilem. Un-
 de *impossibilis conditio* vix ac ne vix qui-
 dem nomen conditionis meretur. Di-
 ctum praterea est, conditionem promif-
 si validitatem suspendere. Quo ipso fi-
 mul conceditur, conditionem *suspensi-*
vam ac *resolutivam*, quas vocant, re ipsa
 non differre. (z) Nam & in resolutiva
 dura-

(x) Quare evidens est, causam finalem, quam
 vulgo modum appellant, conventionem
 relinquere puram.

(y) v. gr. Ducam te, ni moriar.

(z) Quodsi tamen quis subtilitates sectetur,
 huic facile cedam.

(a)

duratio validitatis a futuro eventu speciali atque incerto suspenditur. Denique eventum, quem addimus promissioni, oportet esse *licitum ac honestum*; non prohibitum ac turpem. *Conditio enim turpis* promissionem reddit nullam; cum pactum non possit effectu gaudere, quod factum legibus prohibitum continet.

§. XXV.

De promissione *in certum diem* concepta observandum, si vel maxime promissum jam deberi statuamus; (a) idem tamen non posse peti, nisi die existente. Quod si *certus pacto locus* adjectus fuerit, præstandum est promissum in loco nominato. Si autem hoc fieri commo-
De adjecto die, vel loco.

(a) Dno. GUNDLINGIO in *jurispr. nat.* C. X. §. 28. secundum jus naturæ nihil subesse debiti videtur, donec dies veniat; cum, qui se petere non posse fateatur, concedat quoque, nihil ante diem deberi. Quod & HERTIO placuisse, ibidem adducit. Mihi hæc de re ita: in verbis sumus faciles, modo in re conveniamus. Concedendum enim profecto est, jus certum creditori statim ex promissione nasci; quod tamen exercere ante diem adversus debitorem nequit.

(b)

de nequeat, alter quidem ex regula honesti & decori obligatus est, ut jure suo cedat : ita tamen, ut & alter huic ad præstandum id, quod interest, obstringatur.

§. XXVI.

*De promissione
per alios.*

Posse homines non solum per seipso, sed & per alios, sufficienti potestate ad id instructos, pacifici, id quidem extra dubium est positum: Quodsi itaque *per internuntium*, (b) velut interpretem sue voluntatis, alteri quid promisit; promissum æque validum est, ceteris paribus, ac si ipse præsens fuisset. Quodsi forte internuntius fines concessæ sibi potestatis est transgressus, mandantem non obligat pactum; mandatarius autem, qui majorem justo sibi potestatem sumsit, ad damnum, quod alteri, sua malicia, vel culpa, intulit, reparandum erit obstrictus.

§. XXVII.

(b) Internuntius non est confundendus cum mero nuntio, seu tabellione. Ille gerit negotium: hic vero vel litteras nostras tantum tradit, vel voluntatem nostram verbis simpliciter exponit. Conf. GROTIUS, L. II. C. XI. §. 12. it. TESMARTUS & GRONOVIVS *ad cit. l.* (c)

§. XXVII.

Pari modo & per alios promissorum *De acceptatione per alios.*
 acceptatio valide fieri potest, ita, ut *ne* mandato quidem *semper* hic opus sit. Nil enim obstat, quo minus ego, in commodum alterius, qui harum rerum omnino est ignarus, nedum mandato me instruxerit, donationem acceptare queam. *Utrum autem ex ejusmodi acceptatione jus statim nascatur; ea quidem controversa est quaestio.* Ego duos hic casus esse distinguendos censeo: aut enim alter enuntiat tantum, me praesente, ac velut in transcurfu accipiente, se Titio mille daturum; aut mea singulari ratione interfuit, atque adeo & enixe ab ipso petii, ut promitteret. Priori casu nullum inde jus enatum est: in me enim promittens id transferre noluit, nec ego mihi quidquam juris acquirere volui; Titius vero nec ipse acceptavit, nec me ad accipiendum instruxit. Posteriori autem casu, cum mea interfuit, jus etiam mihi est acquisitum, promissi executionem urgendi. Quod jus ita in meo arbitrio positum est, ut eidem etiam valide possim renunciare, antequam in Titium

tium id ipsum transtuli. Quodsi insuper mandato ad acceptandum fuerim instructus, quæstio de jure atque obligatione minus habet ambiguitatis. (c)

§. XXVIII.

De revocatione promissionis.

Ex dictis consequitur, ante acceptationem rite perfectam, quodcumque promissum jure posse revocari; quamvis interdum, si ex pravis adfectibus revocatio oriatur, in regulas honesti ac decori peccetur. Porro inde manifestum est, revocationem quoque locum habere, mortuo ante acceptationem eo, cui promissum erat; nisi & in heredes idem fuerit conceptum. (d) Poterit etiam revocari, defuncto eo, qui voluntatis tuæ interpretes lectus erat, ut ipse agendo promissionem tuo nomine perficeret; quod mors interveniens impedivit. (e)

§. XXIX.

Pacta irrita quomodo convalescant.

Quemadmodum præterea supra ostensum fuit, pacta nonnumquam esse irrita;

(c) GROTIUS. *L. II. C. XI. §. 18.* PUFEND. *de I. N. ac G. L. III. C. IX. §. 5.*

(d) GROTIUS *cit. cap. §. 16. ibique* VELTHEM. *It. PUFEND. cit. cap. IX. §. 6.*

(e) Aliud est in tabellario. GROTIUS. *cit. cap. §. 17.* PUFEND. *cit. cap. §. 3. 4.* (f)

ob defectum maturioris ætatis, ob dolum itemque ob metum injustum: ita observandum adhuc est, ejusmodi pacta convalescere, si promittens postea de novo voluntatem, sive disertis verbis, sive aliis signis perspicuis declaret. (f) Quilibet enim potest commodo, quod ex nullitate promissi in ipsum redundabat, sine dubio renunciare. Promissum *de re aliena*, accedente deinde domini consensu, ratum redditur. Pacta vero, in res absolute *impossibiles*, vel *turpes* concepta, nullo modo possunt convalescere.

§. XXX.

Pacti rite perfecti effectus partim jus *Effectus* est, partim obligatio. Qui tam diu du- *pactorum* rat, donec legitima ratione fuerit sub- *rum.* latus.

§. XXXI.

Modi obligationem, atque adeo & *Modi* jus, quod huic respondet, tollendi, sunt *tollendi* sequentes. (1) Solutio; (2) mutuus dissen- *obligationem.* sus; (3) compensatio; (4) remissio, seu condonatio debiti; (5) novatio; (6) al-
L terius

(f) GROTIUS. *cit. cap. §. 20, PUFEND. C. VI.*

§. 14.

(g)

terius perfidia; (7) tempus; (8) mors;
(9) confusio; (10) rei interitus; (11)
status mutatio.

§. XXXII.

*De solu-
tione.*

Solvere hic idem est, ac reapse præ-
stare, quod promissum erat. *Aliud enim
pro alio*, invito creditore, solvi nequit,
sive rem ipsam, sive ejus quantitatem
qualitatemque consideres. Nec *alii,*
quam creditori ipsi, solvere poteris, nisi
hoc ei ita visum fuerit. Quæ omnia ex
jure, creditori quæsito, sua sponte fluunt.
Pro reali interim solutione habendum,
si, quod debes, *offers, obsignas, deponis,*
quando creditor solutionem acceptare
detrectat. Utrum autem tu ipse solvas,
an *per alium* creditori satisfacias, perin-
de erit, nisi factum promiseris: hoc e-
nim casu singulariter interesse potest cre-
ditoris, ut ipse factum præstes. Quando
alius pro te solvit, quod ad tollendam
obligationem attinet, nihil refert, utrum
mandato a te instructus fuerit, nec ne.
Quid? quod talis, & te incio, immo te
invito, creditori satis potest facere. So-
lutione peracta, obligatio non solum
principalis, sed & accessoria expirat.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Quod contracta obligatio mutuo pa- *De mu-*
 ciscentium consensu tolli possit, id qui- *tuō dis-*
 dem extra dubium esse positum existi- *sensu.*
 mo. (g) Quemadmodum enim pactum
 horum consensu coaluit : ita & natura
 negotii admodum convenit , ut eodem
 utriusque consensu dissolvatur.

§. XXXIV.

Compensare significat, debitum & *De com-*
 creditum inter se ultro citroque contri- *passa-*
 buere. Quod locum habet in quanti- *tionē.*
 tatibus debitis, non in certis corporibus:
 nisi & hæc utrinque ad quantitatem re-
 vocentur. Oportet autem verum utrin-
 que debitum adesse, itemque purum ac
 præsens, nec non liquidum.

§. XXXV.

Uti quilibet juri suo potest renuntia- *De con-*
 re: ita nullum quoque est dubium, quin *donatio-*
 creditor debitum condonare ac remitte- *ne.*
 re queat. Fieri solet non solum verbis
 disertis, sive ore prolatis, sive scriptura
 conceptis; sed & facto liquido, animum

L 2

CON-

(g) Nisi singulares leges libertatem circum-
 scripserint. Exemplo esse possunt spon-
 salia. (b)

condonandi perspicue demonstrante, quale est, cum chirographum redditur. Quando autem disceptatur, an, uno ex duplici chirographo reddito, altero retento, debitum censeatur remissum; mihi in casu dubio arridet sententia affirmans, ne redditio plane sit otiosa. (b)

§. XXXVI.

De novatione.

Interdum ita obligatio tollitur, ut eam excipiat alia, quæ dicitur in genere novatio, h. e. novæ obligationis, sublata priori, productio. Hæc autem contingit, vel manente eodem creditore ac debitore; quæ *novatio stricte dicta* audit: vel utroque aut alterutro mutato; unde oritur delegatio, vel expromissio, nec non cessio. *Delegatio* est, quando debitor, consentiente creditore, tertium itidem consentientem in locum suum substituit novum debitorem. (s) Quæ & certo

(b) Hanc & tuetur Dn. GUNDLINGIUS in *jurisprud. nat. Cap. XXII. §. 101.*

(s) Hæc non confundenda cum *adsignatione*; quippe quæ non tam modus est tollendi obligationem, quam *mandatum de solvendo & accipiendo*. Unde debitor *adsignans*, nihilominus manet obligatus, donec

gerto sensu *expromissio* dici potest, intuitu nempe delegati novi debitoris, quippe qui, sublata priori obligatione, debitum in se omnino suscipit, adeoque agit *expromissorem*. *Cessionem* vocant, quando creditor, neglecto debitoris consensu, jus suum in alium transfert. (k)

§. XXXVII.

Præterea & unius obligatio tollitur *De per-*
alterius perfidia. Quando enim unus *fidia*
fidem pacto datam non servat, jus, quod
antea sibi ex pacto quæsierat, una cum

L 3

ob-

donec creditori satisfactum. Germani dicunt: *Anweisung ist keine Bezahlung.*

(k) PUFENDORFFIUS delegationem ac cessionem non accurate distinguit, *de Off. H. ac. C. L. I. Cap. XVI. §. 9. it. de J. N. ac G. L. V. C. XI. §. 13.* ea propter TITIO ac BARBEYRACIO notatus; nec non HERTIO *in not. ad cit. loc.* Sunt tamen, qui cum excusant, accuratam utriusque distinctionem juri civili tribuendam, atque cessionem esse delegationem imperfectam rati, quæ in perfectam mutetur, si trium accedat consensus. Vide Dn. GUNDL. *Jurispr. Nat. C. XXII. §. 104.* it. Dn. WERUM nec non TREUERUM *ad libr. de O. H. & C.*

(l)

obligatione alterius, quæ juri isti respon-
debat, non potest non exspirare. In al-
terius tamen arbitrio positum est, velit-
ne perfidum dimittere; an vero potius
ad fidem servandam, coactione in subsi-
diam vocata, adigere. Quod si prius
elegerit, perfidum tamen ad præstandum
id, quod interest, adhuc habet obliga-
tum.

§. XXXVIII.

*De tem-
pore.*

Quæ ad certum tempus contractæ sunt
obligationes, lapso, quod definitum erat,
temporis intervallo, extinguuntur. Mo-
do interea occasio exigendi debiti exti-
terit. Interdum vero contingit, ut ejus-
modi conventiones vel diserto, vel taci-
to partium consensu in longius tempo-
ris spatium prorogentur.

§. XXXIX.

*De mor-
te.*

Morte solvuntur obligationes, ad per-
sonam adstrictæ. Sæpe vero obligatio
defuncti in superstilibus continuatur;
quia hi, vel ex officio pietatis, aut alia de
caussa, defuncti obligationem in se sus-
ceperunt; vel defuncti heredes existe-
runt. Heres enim, res defuncti accipi-
endo, in hujus se locum succedere facto
suo

suo satis demonstrat; adeoque & obligatio in ipsum devolvitur, cui ex bonis defuncti erat satisfaciendum. (1)

§. XL.

Confusione obligationes tolli dicuntur, quando debitor creditori, vel hic debitori, vel tertius utrique heres existit. Quoties enim creditoris ac debitoris jura in eandem personam concurrunt, res eo redacta videtur, ut obligatio subsistere amplius nequeat; cum nemo sibi ipsi proprie possit dici obligatus. *De confusione.*

§. XLI.

Quod si certæ rei quis debitor existat, ita, ut dominio jam renuntiaverit; illa sine hujus culpa pereunte, suo perit domino, debitorque ejus rei liberatur, ut ne quidem obligatio ad præstandum id, quod interest, supersit. Siñ culpa ejus res periisset, secus foret pronuntiandum. *De re interitu.*

§. XLII.

Quod denique ad status mutationem attinet, ea quidem in universum tollere *De statibus mutatione.*

L 4

ob-tatione.

(1) Conf. GROTIJ. de J. B. ac P. L. II. C. XIII. §. 17. C. XXI. §. 19. L. III. C. II. §. 1.

(m)

obligationes nequit. Quod si vero hæc in certo statu unice sint fundatæ, isto mutato, & obligationes necesse est exspirare. (m)

§. XLIII.

Applicatio ad st. Nat. de pactis servandis.

Eorum, quæ hæctenus exposuimus, pleraque in statu quoque naturali ad liberas gentes summosque Imperantes possunt applicari. Neque his convenit, pacta tantum pro ratione solius utilitatis servare; secus vero si sint comparata, fidem datam securius violare. (n) Quemadmodum enim societates civiles hominibus constant ratione præditis, sive capita spectes, sive membra; ratio autem ad normam legis naturalis, pacem omnimodo quærendam dicitur: ita nemo sanus opinabitur, singulis tantum, iisque privatæ sortis hominibus, ita quidem agendum esse, ne violatione fidei, pacto fir-

(m) Exemplo esse possunt obligationes imperantium ac civium, qua talium; has enim oportet extinguere, si imperans imperio se juste abdicavit, aut cives e civitate fuere ejecti.

(n) Hæc vulgo CARNEADI tribuitur doctrina.

(o)

firmatae, aliorum jura pessudent; sum-
 mis autem imperantibus, magnisque in-
 tegrarum gentium societatibus hanc ob-
 ligationem non incumbere. Cum ta-
 men his æque atque illis ad veram feli-
 citatem, præcipiente Deo, fit conten-
 dendum, adeoque & pacis inter se cu-
 stodia debeat esse commendatissima. U-
 ti igitur injustus merito audit privatus
 quisque, qui promissa plena, absoluta at-
 que acceptata, nulloque vitio laboran-
 tia servare detrectat: ita & injustus est
 princeps, injusta respublica, quoties ejus-
 modi conventiones perfidia sua abrum-
 punt; licet sine speciali causa promise-
 rint. (o) Interim tamen de ejusmodi pro-
 missione atque acceptatione liquido de-
 bet constare. (p) Attendendum quo-
 que est, quomodo quis acceptandi facul-
 tatem alteri detulerit? utrum: *volo obli-*
gari, si acceptaverit; an: si acceptatum

L 5

in-

(o) GROTIUS. L. II. C. XIV. §. 4. Vid. GROTIUS.
in Prolegom. §. 5. seqq.

(p) Quando autem hac de re differitur, quæ-
 stio est facti, non juris. Conf. Dni. GUND-
 LING. *Jurispr. nat. C. XI. §. 7.*

(9)

intellexero. Quis autem in dubio verborum sensus esse debeat, de hoc non omnibus eadem est sententia. (9)

§. XLIV.

De pollicitatione ac voto.

Ex dictis patet, pollicitationem ac votum in statu naturali nullam obligationem externam, nullum jus producere; cum nemo mortalium acceptaverit. De inter-

(9) Ego cum GROT. L. II. C. XI. §. 15. existimo, in his quidem, quæ ad mutnam pertinent obligationem, posteriorem sensum præsumi: in promissis vero mere liberalibus potius esse, ut prior sensus credatur adfuisse, nisi aliud appareat. Cui adstipulatur PUFEND. de J. N. ac G. L. III. C. VI. §. 15. in fin. Verum HUBERUS de jure Civitatis L. II. Sect. VI. C. III. §. 9. arbitratur, non opus videri, ut acceptatio promissori innotescat, nisi id pactus sit; ne quidem in negotiis reciproce obligationis. Quibus autem recte Dn. THOMAS. in adnotat. (b) opponit: quemadmodum promissio non est, nisi acceptans eam factam esse sciat; ita par videtur esse ratio acceptationis. Fac, me presenti promittere, ipsum acceptare in mente, aut in aurem tertii. An putas promittentem obligari? Ego non arbitror. Quam decisionem quoque Dn. GUNDL. cit. l. §. 9. amplectitur.

(99)

interna obligatione lis est. (99) Mihi interim persuasum est, pollicitantem voventemque, si, pravo ductus adfectu, sine ulla justa causa, pollicitationem votumve revocaverit, in regulas honesti & decori utique peccare. Quamvis totum negotium ipsius conscientiae sit relinquendum.

§. XLV.

Quemadmodum supra audivimus, *De exceptio* *infirmitatem, cum judicii defectu* *prione* *conjunctam, validitati pactorum obsta-* *minor-* *ennita-* *tis.* re: ita inquirendum nunc est, utrum exceptio minorennitatis inter liberas personas locum habeat? Tota quaestio eo redit, an judicii maturitas, pro negotii ratione, in promittente deprehendatur, ita ut actum satis intellexerit? Si hoc est, pactum erit validum, atque exceptio minorennitatis male usurpabitur. Annos, legibus civilibus definitos, hic non spectari, certum est atque evictum. Quod
fi ta-

(99) GROTIUS. *L. H. C. XI. §. 3.* obligationem internam statuit. Huic contradicit Dn. GUNDEL *in Jurisprud. nat. C. XI. §. 8. conf. §. 10.* Cuius tamen dicta meae sententiae non puto obstare.

(r)

si tamen legibus, quas vocant, regni fundamentalibus certum tempus est statutum, hoc utique erit observandum paciscentibus. Pacta interim, cum extraneis a tutoribus legitime perfecta, sub obtentu minorennitatis, revocare, nefas est atque absurdum. Pari quoque absurditate laborat nonnullorum sententia, qui pupillorum ac minorum beneficia quibuscumque rebus publicis tribuunt. Unicuique enim societati jus est integrum, sese firmiter obligandi, tum per se, tum per alios. (r)

§. XLVI.

De errore.

De errore in statu naturali difficilis inter personas liberas erit disceptatio. Quis enim hic judicabit, utrum error adfuerit invincibilis? Quare vix ac ne vix quidem in hoc statu ex capite erroris pactum poterit rescindi.

§. XLVII.

De dolo.

De dolo quidem & inter liberas gentes

(r) Conf. GROTIUS, L. II. C. XIV. §. 1. PUPPEND. de J. N. ac G. L. VIII. C. X. §. 3. HERTII *Dissert. de regia tutela Sect. II. §. 12.* Dn. GÜNDL. *cit. cap. §. 11. 12.*

(s)

tes affirmandum est, eo utentem non habere jus acceptandi. (r) Interim tamen; nec hic omnia adeo esse manifesta, arbitror. Saepe enim & inter liberas personas resque publicas dolum fingi, historicorum monumentorum perito non potest esse obscurum. Quis vero tum controversiam, non rogatus, cum effectu, decidet?

§. XLVIII.

Simili ratione de metu injusto est pronuntiandum, modo injustitia metus iniuncti appareat. (r) Jus hic certum est, sed applicatio maxime ambigua. Partes enim, causam belli alex committentes, & in omnem belli eventum ipso facto compromiserunt. Quod si itaque unus, belli fortuna adjutus, alterum in angustias redegit, durasque ipsi pacis

con-

(r) Quod recte urget Dn. GUNDL. *cit. cap. §. 14.*

(r) Dn. GUNDLING. *eruditissimo tractatu de efficientia metus cap. II.* accurate ostendit, obscurissimum & maxime ambiguum in statu libertatis videri, quis belligerantium metum intulerit injustum? Conf. L. B. de DANCKELMAN. *Diff. de pactis Principis captivi.*

(u)

conditiones præscripsit, quis quæso judicem, in quæstione de justitia, vel injustitia motus bello injecti, aget? An, qui metum incussit; an vero, qui metum passus est? Sed uterque partium studio flagrabit. Forte tertium nominabis, eumque a partium studio alienum. Ast nec talis poterit esse judex in statu libertatis, nisi ab utraque parte rogatus. Quid? quod pacificationes omnes sub obtentu metus injusti possent rescindi, atque adeo pax in societate gentium sine fine ac modo turbari. (u)

§. XLIX.

De restitutione in integrum.

Non parum quoque disceptari solet, utrum Princeps læsus in statu libertatis restitutione in integrum possit gaudere? Alii negant, restitutionem solius juris civilis

(u) En solida, ut opinor, fundamenta, ad propositam quæstionem excutienda facientia. Quare necesse non est, ut hoc in casu ad singulare jus gentium, a jure naturali separatum, quod pacta metu extorta subsistere jubeat, provocemus. Quod fecit GROTIUS *cit. Cap. XI. §. 7. it. KULPISIUS in colleg. Grot. ad cit. cap. thes. 2. in fn. Conf. GROT. L. III. C. XIX. §. XV.*

(x)

vilis inventum esse arbitrati: (x) alii se-
 cus sentiunt, atque adeo affirmativam
 tuentur. (y) Mihi controversia, recta
 verborum interpretatione in subsidium
 vocata, facile componi posse videtur.
 Restitutio enim in integrum, quæ fit a
 superiore, pro imperio, ad instantiam
 partis læsæ, non, nisi in statu civili, lo-
 cum habere potest, atque hæc ad insti-
 tuta, mere civilia suas refert origines.
 Quando autem libera persona, vel civi-
 tas in statu naturali læsionem veram ac
 manifestam, alterius malitia, vel culpa,
 ex pacto sentit, id ipsum potest declara-
 re irritum, atque adeo semet in integrum
 ipsa restituere, vel etiam, si ita & alteri
 visum fuerit, auxilio arbitratorum eum in
 finem uti. Vides itaque restitutionem
 in

(x) Quos inter GROTIUS præ ceteris est
 nominandus. Vid. L. II. C. XIV. §. 1. de J.
 B. ac P.

(y) JO. BODINUS de Republ. Libr. I. C. VII.
 ZIEGLERUS ac FELDENUS ad cit.
 Grot. locum KULPIS. in Coll. Grot. ad cap.
 cit. thes. 2. Aliique,

(2)

in integrum non absolute requirete superioris auctoritatem. (z)

§. L.

De pactis impossibil. illicitis it. de rebus al. conceptis.

Id autem manifestum est, pacta impossibilia atque illicita, nec non de rebus, aut factis aliorum, in horum detrimentum, perfecta, nec in statu libertatis posse subsistere. Unde facile judicare possumus de pactis imperantium, a quibus res reipublicæ, sine ordinum consensu, fuere alienatæ, aut alio modo in leges fundamentales peccatum. Nec minus clarum est, ea, quæ proceres aut populus universus, remoto legitimo reipublicæ capite, contra leges regni promiserunt, irrita esse nulliusque momenti. Tertio autem quin stipulari in hoc statu liceat, aut e tertii promisso alteri jus acquirere, nulla solida ratione quis poterit dubitare. (a)

§. LI.

De renuntiationibus.

Uti porro in universum rationi convenit, ut quisque juri suo possit renuntia-

(z) Conf. PUPEND. de J. N. ac G. L. VIII. C. X. §. 2.

(a) Coa. Du. GUNDL. cit. cap. §. 15.

(b)

stare: ita & liberæ personæ hac debent
 gaudere facultate. Utrum autem liberi
 ejusmodi renuntiationibus parentum ob-
 stringantur; ea controversa est quæstio.
 Interim lis distinctione facile videtur
 posse componi. Si liberi jam existere
 tempore renuntiationis, jusque adeo
 ipsorum certa ratione habuit initium; so-
 la parentum renuntiatio ipsis non potest
 nocere, quando quæstio est de juribus,
 quæ ab arbitrio parentum non unice de-
 penderunt. Quodsi vero liberi, postre-
 nuntiationem peractam, demum existe-
 re cœperunt, de injuria queri non pos-
 sunt; cum tempore renuntiationis nullo
 jure sint potiti. Non enim nulla
 sunt accidentia, atque adeo nec ulla ju-
 ra. Neque tempore nativitatis ullum
 acquirere jus potuerunt, quippe quo pa-
 rentes, a quibus hoc in liberos derivan-
 dum erat, se jam ante abdicaverant.

§. LII.

Quæ de revocatione pactorum, nec *De revo-*
 non de modis tollendi obligationem pa- *catione*
 cto firmatam supra inculcavimus, & in *Si mo-*
 hoc statu usum habent manifestissimum. *dis tol-*
 Revocationis autem loco censendum *lendi ob-*
 M non *ligatio-*
 nem.

non est, si alter conventionem implere detrectet, quam alter jam violavit perfidus. Non tamen perfidiae crimen illis tribui potest, qui, extrema vere expectantes, a foedere tandem resiliunt. Quamvis autem aliqui fidem aliquando fefellerint, aut infidelium, hæreticorumve nomine veniant; jus tamen in hoc statu, ceteris paribus, validum ex pacto sibi acquirunt: quod qui, frivola ejusmodi de causa, astuti ac supersticiosi violant, injustissimi sunt pacis turbatores. (b)

§. LIII.

Applicatio ad St. Civ.

In statu civitatis ea, quæ lege naturali de pactis præcepta sunt, inviolabilia esse, nullique mutationi obnoxia; id quidem proluxa probatione non indiget. In ceteris autem varias mutationes, varisque augmenta, pro diversa civitatum conditione, legibus civilibus introduci posse,

(b) Conf. GROTIUS. *cit. loc.* HOBBS. *de civ. C. III. §. 2.* DN. GUNDEL. *cit. cap. §. 24. seqq.* NB. De successorum obligatione servandi pacta, qui in regna ac principatus succedunt; nec non de foederibus ac pacificationibus, quæ sunt pactorum species, commodior sectione II. agendi occasio erit.

(c)

posse, æque est manifestum, ac notissima experientia confirmatur. Sæpe litteræ, sæpe lingua certa, sæpe charta peculiaris ac signata, sæpe solemnia verba præscriptæque formulæ, interdum præstatio promissi acceptatione speciali destituti, sæpe civitatis confirmatio specialis, sæpe testes, & quæ sunt generis ejusdem, requiruntur. (c)

CAP. VI.

DE OFFICIO AC JURE
HOMINUM CIRCA
SERMONEM.

§. I.

POSTEAQUAM hætenus primarias, quæ *Connexio* ex principiis nostris fluunt, regulas *xio.* exposuimus; nunc earum applicationes specialiores ad varia DEI hominumque instituta sequuntur: inter quæ potiora sunt: sermo, dominium, conjugium, imperium.

M 2

§. II.

(c) Quæ in jurisprudentia civili specialius excutienda. Conf. interim Dn. GUNDL. *Jurisprud. nat. cap. XII.* (a)

§. II.

*Sermo-
nis de-
scriptio.*

De sermone primo loco agimus. Qui nobis est vox articulata, ex hominum impositione, ad communicanda animi sensa, aliquid significans. (a)

§. III.

*Præ-
ceptum ge-
nerale.*

Præceptum generale de sermone hoc est : **ITA UTERE SERMONE, NE ULLIUS JURA VIOLES; AUT PRAVIS AFFECTIBUS, QUAMVIS SINE ALIORUM LAESIONE FIAT, TURPITER INDULGEAS; SED**

(a) Exinde patet, sermonem pertinere ad *signa arbitraria*, quæ aliquid significant ex hominum impositione; non ad *signa naturalia*, quæ ex naturali rerum habitudine deducuntur. Explicanda hic etiam est, velut in transcurso, controversia de origine sermonis, nec non de lingua primæva. Vid. PUFEND. *de J. N. ac G. L. IV. C. I.* it. Dn. THOMAS. *Jurispr. divin. L. II. C. VIII. §. 10. seqq.* Conf. Dn. BUDD. *Theol. moral. part. II. Cap. III. sect. V. §. 2.* Nec omittenda comparatio sermonis cum factis; quin potius investigandum, quando facta verbis, vel hæc illis prævaleant. Conf. Dn. THOMAS. *Diff. de protestatione facto contraria.* it. *Fund. J. N. ac Gent. C. VIII. §. 5.*

(b)

(b) SED UT POTIUS TUA PARTER ATQUE ALIORUM COMMODA PROMOVEAS. Prius membrum ex regula iusti deducendum: reliqua regulae partim honesti & decori, partim prudentiae praecipunt.

§. IV.

Jam vero quaestiones specialiores facili negotio possunt decidi. Quando itaque ex me quaeris, sitne loquendum, an vero silentio indulgendum? respondeo: unum tempestive esse faciendum, alterum non omittendum. Quod si enim silentio tuo alteri damnum inferres; manifesta est obligatio ad loquendum ex regula iusti. Quod si vero sermo istum produceret effectum; ab hoc utique ex eodem fundamento tantisper est abstinendum. Sin forte nullum aliis damnum metuendum; uti tamen insignem proderet stupiditatem, qui in aliorum hominum commercio ordinarie si-

*De obli-
gatione
ad lo-
quen-
dum, vel
silen-
dum.*

M 3

len-

(b) Hinc facillimum est iudicium de scurrilitate ac jocos, nec non de logomachiis, ut & de affectata sermonis obscuritate, & quae sunt generis ejusdem.

(c)

lento indulgeret, atque adeo inhonestum ac indecorum non minus, quam imprudentem se gereret: ita contra, qui vaniloquentia ac garrulitate uti vellet, paribus profecto vitiis scateret. **TEMPESTIVE itaque LOQUENDUM AËQUE, AC SILENDUM.**

§. V.

De obligatione ad usurpanda vocabula recepta.

Quibus ita demonstratis, nova occurrat quæstio: sitne loquenti vocabulis receptis utendum? Ego utique **LOQUENTEM ORDINARIE OBLIGATUM pronuntio AD VOCABULA CONSUETA USURPANDA**: idque ex regulis honesti, decori ac prudentiæ: Qui enim adfectato novitatis studio a receptis recederet, novisque contra vocabulis, quorum sensum alii non caperent, uti vellet; is profecto stolidissimum animi adfectum proderet, seseque aliorum risui exponeret. Qualia regulis honesti, decori ac prudentiæ repugnant. (c)

§. VI.

(c) Sic melius res demonstratur, quam si ad pactum tacitum, quod tamen ostendi non potest, provocaremus. Quod facit **PUFENDORFF. de O. H. ac G. L. I. C. XI. §. 2.**

(d)

§. VI.

Tertium porro præceptum speciale *De obli-*
 est: Veracitati stude. Nempe *OR-*
DINARIE SERMO EST DIRIGEN-
DUS, UT EODEM ANIMI SEN-
SA (d) ALIIS SINCERE PANDA-
MUS. Oritur autem hæc obligatio par-
 tim ex speciali pacto; (e) partim ex
 præsentis negotii natura, quod expediri
 nequit, nisi animi sensa pandam; (f)
 partim denique ex generalioribus legis
 naturalis præceptis de nemine lædendo,
 deque commodis aliorum promoven-

*gatione
ad veri-
tatem.*

M 4 dis.

(d) Veritas enim moralis consistit in eo, ut sermo animi sensis conveniat. Differtque a veritate logica, quæ consistit in conformitate conceptus cum re ipsa.

(e) V. gr. Si quis informatorem, doctoremque sibi, eligat ad veritates addiscendas. Quo casu in regulam iusti Doctor impingeret, si sciens volensque, vel sua saltem negligentia, discenti errores loco veritatum propinaret.

(f) Exemplo sunt pacta & contractus, in quibus incholes negotii requirit, ut animi sensa exponam, ne alteram decipiam, vel alio modo ipsi noceam, quippe quod itidem regulæ iusti repugnaret.

(g)

dis. (g) Non tamen existimandum est, regulam hanc adeo esse absolutam, ut nullam admittat limitationem vel exceptionem, quod ex mox dicendis magis patebit.

§. VII.

Refutatio errantium.

Errant itaque, qui falsiloquium in universum damnant, hominesque ad veritatem dicendam absolute obligatos docent; aut nullis profecto, aut miseris admo-

(g) Semper itaque & in genere ex regula justi quis obligatus est ad veritatem enunciandam, ne aliis noceat; salva tamen sui ipsius conservatione. Porro & ex regulis honesti, decori ac prudentiæ generalis oritur obligatio ad veritatem sectandam, quoties aliorum, vel nostra ipsius commoda sunt promovenda. Sic in regulas honesti ac decori impingeret, qui erroribus immersum, data occasione, veriori institutione nollet adjuvare, ut ex erroribus evaderet. In easdem quoque regulas, simulque in regulam prudentiæ maximopere peccaret, qui vanam in falso sermone voluptatem collocare, atque adeo ordinariæ eodem uti vellet. Hic enim male ordinatum animi adfectum manifesto proderet, atque adeo imprudentissimus efficeret, ne fidem ipsi, licet ejus maxime jam intersit, alii sint habituri.

(h)

modum rationibus instructi. Etsi enim tacitum cum altero pactum iniri non nemo (b) putat, nos vera dicturum; valde tamen metuo, ut ejusmodi pactum ex facto quodam clarø hic elici queat ac demonstrari. Nec satis hic facit, si vel maxime ad ordinationem atque imaginem divinam provoces. Tunc enim petis id, quod est in principio, nec probas ordinationi, atque imagini divinæ absolute esse adversum, si quis animi sensa sermone non manifestaverit. Quare evidens est, falsiloquium, positum ponendis, non repugnare legi naturali. (i)

M 5

Neque

(b) Nempe PLACÆUS, Placette Gallus. De quo vid. Dni. GUNDL. *Jurispr. nat. C. XII. §. 14.*

(i) Conf. GROTI. *de J. B. ac P. L. III. C. I. §. 10. seqq.* KULPIS. *in Coll. Grot. ad cit. cap. thes. 2. seq.* PUFENDORFF. *de J. N. ac G. L. IV. C. I. §. 7. ibique BARBEYRAC. ULRICUS HUBERUS de jure civit. L. II. Sect. VI. C. II. num. 15. seqq. ibique Dn. THOMAS. in notis. Quid? quod & Theologi celeberrimi hanc veritatem profiterentur. E. gr. Dn. BUDDEUS in Theol. mor. P. II. C. III. S. V. §. 9. in primis in not. It. HOCHSTETTERUS in coll. Pufend. Exercit. VII. §. 14. p. 256. seqq.*

(k)

Neque adeo falsiloquium & mendacium synonymice sunt usurpanda, (k)

§. VIII.

*De jure
hominis
circa
sermo-
nem.*

His ita de obligatione præmissis, tandem & de jure hominis intuitu sermonis est agendum. Hoc autem in eo consistit, ut quilibet facultate gaudeat, loquendi aut tacendi, itemque animi cogitata enantiandi, aut reticendi ac falsiloquio utendi, (l) prout hoc, vel illud ad veram sui aliorumque felicitatem promovendam facit. Nemini contra jus est, alterum ad veritatem dicendam cogendi, nisi id ipsum clare queat ostendere. Jus vero hoc aut connatum esse debet, aut acquisitum. Connatum in eo consistit, ne cujus vita, membra, honores, fortunæ & similia alterius sermone lædan-

(k) Mendacium enim proprie dictum, est ejusmodi disconvenientia sermonis cum cogitatis, qua jus proximi læduntur.

(l) Quæ de reticentia veri, ac falsiloquio hic affirmantur, ea quoque vera sunt de simulatione ac dissimulatione, quæ in gestibus factisque locum habent. Observandus hic interim versus vulgatus: *Quæ non sunt, simulo, quæ sunt, ea dissimulantur.*

(m)

ludantur. Acquitum ex pacto derivandum. Quare evidens est, jus cuique esse, ficto bonum in finem sermone utendi, v. gr. ad iratum demulcendum, ad innocentem protegendum, ad moestum consolandum, item, ut meticuloso animum addat, aegrotum ad medicamenta capienda permoveat, pertinaciam alicujus frangat, nec non ad puerorum, qui auctæ veritatis nondum capaces sunt, informationem, (m) & si qui sunt casus similes. Contra vero, si quis animi cogitata alteri liquido patefacere tenebatur, in hunc utique injurius est, si ambiguo fictove sermone ludat, aut quadam mentis reservatione, quam vocant, utatur. (n)

§. IX.

Quemadmodum & in statu naturali

Applicatio ad eo Ss. nat.

(m) Cavendum tamen est, ne fictionibus ac fabulis omnino adsuefrant. Hoc enim imaginationi quidem ac superstitioni excitandæ inservit, judicium autem admodum corrumpit. Vid. LOCKIUS *de educat. infant.* n. 120. 131. 138.

(n) Dicendum hic de reservationibus, quæ dicuntur, mentalibus Jesuitarum. Vid. *Epist. Provinciales Ludovici Montaltii*, aliaque scripta antijesuitica.

(nn)

eo cunctis est annitendum, ut pax vigeat
 floreatque, & commune emolumentum
 mutuo auxilio promoveatur: ita & se-
 cundum ante explicatum modum ser-
 mone est utendum, ut fines isti eo feli-
 cius obtineantur. Abesse itaque & hic
 debet mendacium proprie dictum. In-
 terea tamen personis in hoc statu con-
 stitutis licet sæpius fingere & dissemina-
 re falsum, nec non simulare ac dissimu-
 lare. Licet arcana Reipublicæ celare.
 Licet hostem stratagemate & fictis ru-
 moribus decipere. Non autem licet ca-
 lumnias disseminare de sui æqualibus.
 Non licet porro fictis sermonibus ad bel-
 lum incitare externos, aut alienæ potesta-
 ti subjectos. Denique non licet, hosti
 ad pacem redire volenti verba da-
 re. (m)

§. X.

(m) GROTIUS *cit. cap. §. 18.* recte monet,
 sermonem asserentem, qui nulli, nisi pu-
 blico hosti, noceat, non esse confunden-
 dum cum promittente. Nunquam enim
 in pacem redire possent partes belligeran-
 tes, nisi, ubi de ejus compositione agitur,
 falsiloquia cessarent. PUFEND. *de J. N. ac*
G. cit. cap. §. 19. Conf. Dn. GUNDL. *Ju-*
rispr. natur. Cap. XIV. (o)

§. X.

In statu civili mendacium turpeque *Applica-
tio ad St.
civ.*
falsiloquium æque esse prohibitum, ac in
statu naturali; id quidem facile ex præ-
cepto legis naturalis colligimus. Licet
autem Imperanti, exemplo Salomonis,
in commune bonum innoxio uti falsilo-
quio, aut simulare. Licet languenti po-
pulo fictis gaudiis animum addere. Li-
cet quoque subjectis, novarum rerum ul-
tra modum cupidis, fabulas narrare in-
nocentes. Præterea in hoc statu Legis-
latores copiosius possunt declarare, quid
sit mendacium, & quis jus habeat perci-
piendi veritatem. Sic pro mendaci non
habetur, qui promissum non servat ei,
cujus jus civitatis judicio est sublatum.
Sic nec mulier mendacii potest accusari,
quæ fidejussit, & postea nihilominus Scti
Vellejani beneficio usa est: quamvis in
regulam honesti & decori impingat, si
pravo adfectu ducta hoc modo egerit.
Sic nec mendacium potest ei imputari,
qui fidejussit, & deinde exceptionem ex-
cussionis, aut divisionis opponit. Præ-
terea subjectis permissum est, reticere
verum, aut falsum dicere Imperantibus,
nec

nec non simulare & dissimulare, si hi legi divinæ contraria jubeant, (o) aut generis humani utilitatem pervertere contendant. In testimonio autem dicendo, & ubi alias urget magistratus, veritas omnino sectanda civibus, ni in regulas justæ peccare atque adeo pœnis promeritis æque ac reparationi damni se obnoxios reddere velint. Nec silere possunt, quando salus Reipubl. poscit, ut loquantur. Ea autem controversa maxime est quæstio, utrum civi, ad declinandam pœnam graviolem, liceat veritatem reticere, aut falsum enuntiare? (p) De jure quidem magistratus percipiendi veritatem nemo sanus dubitabit. Cum tamen jus interdum esse

pos-

(o) Quod exemplo obstetricum Ægyptiacarum potest illustrari.

(p) Vid. PUFEND. *cit. cap. §. 20.* qui quæstionem affirmavit. Cui contradixit Dn. THOMAS. in *Jurispr. Div. L. II. C. VIII. §. 35. seqq.* it. *L. III. C. VII. §. 57. seqq.* Adde tamen emendat. in *fund. J. N. ac G.* Pufendorffii sententiam defendit PALTHENIUS *Diff. de obligatione rei ad functionem penalem.* Conf. HOBBS *de civ. C. II. §. 18. 19.*

(9)

possit, cui non respondeat alterius obligatio; non statim ex priori sequitur, reum quoque obligatum esse ad delictum confitendum, eumque jus magistratus violare, si vera reticeat, aut falliloquio ad sui tantum conservationem utatur, nullo animo jus magistratus turbandi. Multo minus, qui in obscuro deliquit, obligatus dici potest ad se ipsum accusandum; aut ad manifestandum occultum alterius delictum, cujus mors, vel alia poena durior & sibi foret acerbissima. (q)

CAP. VII.

DE OFFICIO AC JURE
HOMINUM INTUITU JU-
RISJURANDI.

§. I.

CUM accessorium sermonis ac promissorum sit jusjurandum; ordo poscit, <sup>Conne-
xio.</sup> ut jam investigemus, quomodo genera-
lia

(q) Conf. ad integrum §. Dn. GUNDL. J.
N. C. XV.

(a)

lia legis naturalis præcepta huic sint applicanda.

§. II.

*Juramenti
descriptio.*

Est autem jusjurandum religiosa asseveratio, qua DEUS testis ac vindex provocatur, ad majorem assertis promissisque fidem conciliandam.

§. III.

*De animo
jurandi.*

Non itaque quælibet religiosa asseveratio statim est jusjurandum: (a) sed oportet eam esse conjunctam cum animo jurandi. Hic autem provocatione DEI, velut testis ac vindicis, discrete declaratur, nisi quis formulam tantum recitaverit, aut juraturo prælegerit. Sufficiunt tamen verba æquipollentia, modo ex facti circumstantiis de animo jurandi constet. Et si quis speciem juraturi præ se tulit, huic utique juramentum imputatur, quicquid demum animo, dum juravit, agitaverit.

§ IV.

*Jurandum
per Deum.*

Jurandum vero, ut ex definitione patet, per Deum, qui omnia novit, ac solus est

(a) Non itaque fuit jusjurandum in verbis Christi: *amen, amen* &c. (*warlich, warlich*)
Nec in verbis Paulli 1. Cor. XV. 31. (b)

est omnipotens. Absurdum enim foret, jurare per rem aliquam, quæ divinitate destituitur, hoc sensu, ut ea res testis atque ultrix perjurii invocetur. (b) Pari absurditate laborat jusjurandum, quo idolum invocatur; cum hoc nulla divinitate sit præditum. Quemadmodum autem natura rei ostendit, jusjurandum accommodandum esse ad persuasionem & religionem ejus, qui jurat; ita evidens quoque est, non semper in arbitrio sanctorum positum esse, ejusmodi jusjurandum per falsos DEOS evitare. Frustra enim quis adigeretur ad jurandum per DEUM, quem nec credit, nec metuit. Quid? quod jurans per falsos DEOS, quos pro veris agnoscit, Numinis tamen conceptum ob oculos habuit, adeoque & perjurium committit, si fefellerit. (c)

N

§. V.

(b) Interim tamen alio sensu res sæpe a jurantibus sunt nominatae, eaque carissimæ; nempe, ut summum numen, si jurans fefellerit, in istas potissimum res vindictam exercent.

(c) Conf. PUFEND. de O. H. ac G. L. I. C. XI. §. 4.

(d)

§. V.

*De fine
jura-
menti.*

Ex definitione præcedente quoque facillimum est judicium de fine jurisjurandi. Hic enim intuitu ejus, cui juratur, est, ut metu pœnæ divinæ jurantem magis adstringat ad veritatem dicendam, aut promissum servandum. Contra vero & jurans cum in finem jurat, ut majorem assertionibus vel promissis suis fidem conciliet.

§. VI.

*Jura-
menti
necessi-
tas ac
permis-
sio.*

Quæ cum ita sint, atque istum in finem sapissime, ex hypothesi status corrupti, jusjurandum admodum sit necessarium; eo, quod homines stulti pœnam divinam vix ac ne vix quidem metuunt, nisi eam deliberato animo in se provocaverint; consequitur inde, jusjurandum esse de genere permissorum. Quod clarius elucet, quando quis perpendit, jusjurandum sæpe esse medium, veram hominum felicitatem promovendi; neque absolute gloria divina indignum esse, ut quis DEum testem ac vindicem provocet, suæ atque aliorum salutis promovendæ. Quare evidens est, jusjurandum, in se spectatum, neque regulæ justæ, neque regu-

regulis honesti, decori ac prudentiæ, atque adeo nec legi naturali esse adversum. (d)

§. VII.

Ne autem, quæ de permissione jurisjurandi dixi, ad licentiam jurandi promiscuam perverse applicentur, ostendendum nunc est, quæ sit officii ratio, intuitu jurisjurandi. *De offic. circa juramenta.*

§. VIII.

Primum itaque observandum est,

N 2

NON

(d) Utrum autem Christianis interdicta omnino sint juramenta; ea quidem ad jurisprudentiam naturalem proprie non pertinet quæstio. Interea tamen ad dubia, quæ ex doctrina Christi & Apostolorum hic moveri solent, facile responderi potest, si usum ab abusu distinguamus. Distinctio, quam GROTIUS *de J. B. ac P. L. II. C. XIII. §. 21.* profert, inter jusjurandum assertorium & promissorium, quorum illud permissum, hoc a Christo prohibitum putat, nullius est ponderis ac momenti. Quare & commentatores Grotio contradicunt. Conf. Dn. THOMAS. *Fund. J. N. ac G. L. II. C. IX. §. 2. seqq.* Adde Dn. BUDD. *tract. de concordia relig. Christ. statusque civilis. Cap. VI. §. 6.* ubi Anabaptistarum de jurejurando sententiam exponit.

(e)

Non temere jurament. exigendum. **NON TEMERE JUSJURANDUM ESSE POSCENDUM.** Hoc enim animum parum religiosum, reverentiaque DEo debita vacuum proderet, adeoque inhonestum foret atque indecorum. Quare certum est, non posse jusjurandum, salvis his principiis, ei deferri, quem pejeraturum scimus; modo casus hujus scientiæ extiterit. (e) Non tamen regulæ honesti & decori absolute repugnat, ab infideli, falsos DEos invocante, jusjurandum exigere; modo iusta id poscat causa.

§. IX.

Nec temere jurandum. Porro **NEC TEMERE, SED SUMMA POTIUS IN DEUM REVERENTIA, ESSE JURANDUM**, eadem honesti atque decori regula præcipit. Quare maximopere peccant in legem naturalem, qui jure jurando, velut sermonis ornamento, utuntur; aut ad confirmanda promissa turpia, vel impossibilia; aut eo in casu, ubi vel nulla requiritur probatio, vel eadem alia facillime ratione perfici potest. §. X.

(e) Qua de re dubitat Dn. THOMAS. in *jurispr. div. tit. cap. §. 150. seqq.*

(f)

§. X.

VITANDUM præterea PERJURI-^{Vitan-}
 UM, quippe quod non solum regulis^{dum}
 honesti, decori ac prudentiæ, sed ple-^{perju-}
 rumque etiam regulæ justæ repugnat. Sic^{rium.}
 & injustum est perjurium, quando quis
 falsum adversus alterum jurato dixit te-
 stimonium; quando verbis ambiguis ju-
 rans alterum deceptit; quando promissa,
 jurejurando confirmata, violantur. &c.
 His enim casibus ac similibus & jus pro-
 ximi manifesto violatur.

§. XI.

Denique & officii ratio requirit, NE^{Juran-}
 JURETUR, NISI PER DEUM. Quæ^{dum per}
 de re supra jam egimus.^{Deum.}

§. XII.

Ex iis, quæ supra de fine jurisjurandi^{De effe-}
 diximus, patet, usurpari id ipsum in con-^{ctu jura-}
 firmationem assertionum, vel promissio-^{menti.}
 num nostrarum, atque adeo habere natu-
 ram accessorii. Cum autem accessorium
 sequatur naturam sui principalis; con-
 cludimus inde, jusjurandum *Et negotii*
conditione pendere, in cujus confirmatio-
nem fuit usurpatum. Effectus itaque
 jurisjurandi duplex est: 1) *presumptio ve-*
 ritatis,

ritatis, 2) confirmatio promissi validi. Juramenta enim in se spectata novam peculiaremque non producant obligationem; sed actui antea valido majus addunt firmitermentum. Confirmatur itaque obligatio, quæ aderat. Quæ autem non adfuit, qua quæso ratione confirmari potuit? Cum non entis nulla sint accidentia. Jusjurandum tantum poenam divini respicit: quam provocare ineptum foret, si promissi violatio foret licita. Licita autem foret, nisi pactum esset obligatorium. (f)

§. XIII.

Conse-
craria.

Quæ cum ita sint, consequitur inde, pro-

(f) Hac in re veritatem docuit HOBBIUS *de civē. Cap. II. §. 22.* Conf. PUPEND. *de O. H. ac C. L. I. C. XI. §. 6. it. de J. N. ac G. L. IV. C. II. §. 6.* Dn. THOMAS. *in jurispr. div. L. II. C. XI. §. 14. seqq. it. in fundam. J. N. ac G. eod. Cap. §. 7. seqq.* Eravit itaque GROTIUS, qui, doctrina Canonistarum procul dubio deceptus, *L. II. C. XIII. §. 14. J. B. ac P.* statuit, *novam jusjurandum producere obligationem; semper quidem erga DEUM, interdum quoque erga alios homines; cum tamen, quando quis jurejurando promissionem firmat, nec DEO, nec hominibus novi quid promittatur.* (g)

promissum irritum, ob defectum ætatis maturioris, vel ob errorem, dolam, metumque injustum, vel quod nondum acceptatum, aut de re illicita, aut impossibili aut aliena conceptum erat, si vel maxime jusjurandum accesserit, obligationem non producere. Jusjurandum enim non mutat naturam promissi, cui accedit. Quare nec promissum conditionatum, jurejurando confirmatum, hoc ipso purum redditur. Nec jusjurandum excludit conditiones ex indole negotii, vel usu vulgari tacite intellectas. Nec promissum juratum magis obligat heredes, quam non juratum. Quemadmodum nec jusjurandum efficere potest, ut præcedens obligatio valida irrita reddatur, ac jus inde alteri legitime quæsitum evanescat. (g) Falsum quoque est vulgare brocardicum juris canonici: omne jusjurandum, quod salva salute æterna servari potest, servandum esse. (h)

N 4

§. XIV.

(g) Vid. PUFEND. *cit. cap. §. 7. seqq.* Dn. THOMAS, *cit. loc.* Add. GROTI. *cit. cap. §. 15. seqq.* Qui tamen ex ante dictis emendandus.

(h) Conf. Dn. LUDOVICI *sing. diff. de hoc brocardico.* (i)

§. XIV.

De interpretatione jurisjurandi. - Quod interpretationem jurisjurandi attinet, ea est instituenda ad mentem ejus, qui jusjurandum detulit, & quidem secundum receptum loquendi modum; quamcumque etiam verborum significationem, aut intentionem, se non obligandi, jurans habuerit. Hoc enim ni ita esset, omnis jurisjurandi usus, omnisque ratio, sese, certis intervenientibus signis, obligandi, inanis omnino foret. Ac profecto stupendam involvit contradictionem, velle jurato promittere, omnibus legitimæ promissionis requisitis in subsidium vocatis; nec tamen promisso jurato velle obligari. Quid? quod hac ratione latissima aperiretur via, quæcumque perjuriam excusandi, allegando, juranti alium fuisse verborum sensum, quam acceptanti. Accedit, quod jurans non possit non dolose agere, qui saltem verosimiliter persuasus est, aliam alteri esse mentem, nec tamen suam exponit. (i)

III

(i) GROTIUS, cit. cap. §. 3. 5. PUFENDORF, cit. cap. §. 12. 14. 15. KULPIS, in colleg. Grot. ad cit. cap. thes. I. in fin.

(k)

In reliquis jurisjurandi interpretationi communes bonæ interpretationis regulæ, quæ in saniori logica traduntur, sunt applicandæ. Quod autem vulgo dicitur, (k) *jusjurandum, in alterius odium conceptum, stricte esse interpretandum*, ita, ut ne quidem plenus verborum sensus admittatur; id profecto rectæ rationi minus convenit. Neque exempla, quæ adduci solent, ad rem faciunt; sed potius continent casus, quibus juratum fuit de re illicita. Tum vero jusjurandum nullum est pronuntiandum; non cavillatoria interpretatio usurpanda.

§. XV.

Posthæc & de divisione jurisjurandi est agendum. Hæc autem ab usu, cui in *De divisione.* vita communi inserviunt juramenta, quam commodissime desumitur. Quorundam enim promissis, pactisque addun-

N 5

tur:

(k) Ea & mens est GROTIJ. *cit. cap. §. 5.* Nec non PUFEND. *de J. H. & C. cit. cap. §. 8. it. de J. N. ac G. cit. cap. §. 13.* Quemadmodum autem Grotium jam ZIEGLERUS alique commentatores notarunt: ita & a Pufendorffio BARBEYRACIUS alique in annotationibus recte dissentiunt.

(l)

tur : qualia dicuntur *promissoria*. (1)
 Quaedam ad majorem assertionibus fidem
 conciliandam adhibentur, eaque dicun-
 tur *assertoria*. Quale est juramentum
 testium, nec non juramentum *litis deci-*
sorium. Posterius rursus distinguunt in
judiciale & extrajudiciale. Hoc est, quod
 decidendis extra iudicium litibus adhi-
 betur ; illud quod eundem in finem in
 iudicio usurpatur ; & quidem, vel ita, ut
 una pars id ipsum deferat, vel referat, al-
 tera accipiat, iudice rem approbante,
 quale dicimus *judiciale voluntarium* ; vel
 eo modo, ut iudex, pro ea, qua pollet,
 auctoritate, idem alterutri parti iungat,
 quod *necessarium* vocatur, quia non pen-
 det ab arbitrio partium. Hoc rursus
 est vel *suppletorium*, quo quis probatio-

neri

(1) Solent promissorium iusjurandum rursus
 dividere in *promissorium* stricte dictum &
confirmatorium. Illud dicitur, quando
 quis ab initio statim jurato promittit ; quod
 fit in homagio. Hoc vero, quando prae-
 cedens promissum, post aliquod demum in-
 tervallum, iurejurando confirmatur. Quae
 superflua magis videtur divisio, quam ne-
 cessaria.

(m)

nem semiplenam supplet; *vel purgatori-*
um, quo quis præsumptiones, sibi adver-
 sas, semiplenæ tamen probationi non-
 dum æquipollentes, elidit, atque adco
 ab adversa suspicione se purgat. (m)

§. XVI.

Denique & jus, quod hominibus in-
 tuitu jurisjurandi competit, paucis est il-
 lustrandum. Nempe primo hominibus
 jus est, ceteris paribus, jusjurandum *exi-*
gendi pariter ac præstandi; idque tum
per se ipsos, tum per mandatarios. Ne-
 mo enim jusjurandum in alterius ani-
 mam absolute illicitum esse demonstra-
 bit: quamvis ex regulis prudentiæ cau-
 tius hic sit agendum. Porro huc etiam
 pertinet *ius, veniam jurisjurandi largien-*
di: quo unusquisque gaudet, cui ex pro-
 missione jurata jus est quæsitum, quippe
 cui hic potest renunciare. Sublata igitur
 hoc modo obligatione principali, &
 acces-

(m) Dn. GUNDL. in *jurispr. nat. C. XVI § 19.*
seqq. jusjurandum cum HOBBSIO arbi-
 tratur unum esse, puta promissorium. Di-
 stinctiones autem omnes a diversis tantum
 relationibus originem trahere, esseque di-
 versas duntaxat denominationes.

(n)

accessoriam evanescere oportet. De jure Imperantium singulari mox agemus.

§. XVII.

Applicatio ad St. nat.

Uti jus jurandum non quidem absolute necessarium, nec tamen illicitum esse, supra demonstravimus, ita & in statu libertatis idem cum cautione esse usurpandum, ex supra dictis æque est manifestum. Olim principes vix jurabant, sed dexteram jungebant, aliisque fidelitatis signis utebantur. Verum superstitio artesque Cleri usum jurisjurandi frequentiore & inter liberas personas resque publicas introduxerunt; posteaquam nempe hominibus persuasum fuit, nonaque eos obligari ad nuda pacta servanda, ac si jurejurando essent firmata. Ex quo fonte & alius propullulavit error, quod civitates libere, earumve Imperantes Pontifici Romano jurisjurandi moderamen permiserunt, atque ab ipsius decisione in negotiis juratis pendere cœperunt. Tantum enim abest, ut hæc Pontifici Romano propria sit potestas, ut potius, ob defectum communis imperii, ipsa libera personæ jusjurandum, quod infirmitate laborat, irritum declarare, seque

ſequē a præſumta obligatione liberare queant. Pari modo, quin & alter imperantium alteri, quem habebat obligatum, veniam jurisjurandi dare queat, nullum ſuperest dubium.

§. XVIII.

Eorum, quæ ſupra expoſuimus, ple-^{Applica-}raque & in ſtatu civili ſunt obſervanda.^{tio ad}
Imperantes autem ſpecialius poſſunt hic ^{St. civ.} varia definire. Hinc formulas certas præſcribunt, ſolemniaque, in juramentis præſertim judicialibus, ad majorem ſuperſtitioſis terrorem incutiendum augent. (n) Poſſunt etiam in ſuis civitatibus decidere, utrum aſſeveratio, loco jurisjurandi facta, vim juramenti habere debeat, nec ne. Recte quoque ſtatuunt, quomodo & quando juſjurandum exigi, deferri, referri ac ſervari debeat. Prudenter quoque edicunt, jurejurando non paucas in dubio controverſias eſſe componendas. Suadent vero iſiſ etiam regula honeſti, decori ac prudentiæ, ut frequentia juramentorum, quam ſuperſtitio

(n) Conf. Dni. LUDOVICI *Diſſ. de ſolemni-*
bus juramentis.

(o)

stitio atque astutia, ope juris canonici, introduxerunt, obices ponant, ne malum, quod inde oritur, latius per suas respublicas serpat. Ex iisdem principiis cavebunt quoque, ne juramentis religionis, quæ vocant, quippe rectæ rationi ac revelationi haud corruptæ admodum repugnantibus, cleri persuasione seducti, indulgeant. (o) Ceterum nulli dubitamus, quin Imperantes juramenta subjectorum justa de causa possint irrita declarare: v. gr. si vel jus reipublicæ, vel privatorum lædant; aut etiam in pœnam ejus, cui jurato quid promissum erat; quoniam voluntas Imperantium, velut tacita conditio, inest omni subjectorum jurijurando. (p) Denique etiam certum est

(o) Conf. Dn. THOMAS. *Recht Evangelischer Fürsten in Theologischen Streitigkeiten. Thef. 14. §. 3. seqq.* it. ejusdem *annales testamenti Dn. ab Offen adjectas p. 245. seqq.* ARNOLDI *Hist. eccles. P. II. p. 208. §. 6. seqq.* OBSERVAT. SELECT. HALENS. T. I. O. 8. it. T. II. O. 24. Dn. BOHMER. *jus paroch. Sect. III. cap. 1. §. 32. seqq.* It. E. JUD. *jus eccles. Prot. L. I. Thef. XII. §. 20. seqq.*

(p) GROTIUS. *cit. Cap. §. 20.* PUFENDORF. *de J. N. ac G. cit. cap. §. 24.* (a)

est atque evictum, Imperantem, ni leges fundamentales obstant, nemini injuriam facere, si leges, juramento civium firmatas, mutaverit, quamvis nonnulli perpetam dissentiant.

CAP. VIII.

DE OFFICIO AC JURE
HOMINUM

CIRCA
DISTINCTA RERUM DO-
MINIA.

§. I.

SEquitur nunc alterum insigne institu-
tum humanum, dominium, quod est
jus, quo res ita mea est, ut eodem modo in
solidum non spectet ad alium. (a)

*Descri-
ptio do-
minii.*

§. II.

Vero interea non est simile, ab initio
statim distincta fuisse rerum dominia.

*De ori-
gine dis-
tinctio-
rum.*

(a) Qua occasione explicandæ sunt lites de
essentia dominiæ motæ. Vid. Dn. THO-
MAS. J. D. L. II. C. X. §. 37. seqq. It. Fund.
J. N. ac G. n. 3.

(b)

Deus enim res in medio quasi constituit, ut homines in communem usum eas applicarent; ipsum autem singularia primis hominibus dominia proxime attribuisse, nemo umquam demonstrabit. Fuit itaque initio status quidam communionis, quem homines facto suo deseruerunt, cunctis quidem, quas vocant, passionibus primariis, imprimis vero avaritia, instigantibus. (b) Qua autem ratione ista contigerit mutatio, ea admodum controversa est questio.

§. III.

Nempe per divisionem & pacta id factum

De primo acquirendi modo.

(b) Statum communionis defendit GROTIUS de J. B. ac P. L. II. C. II. §. 2. notatus propterea non solum commentatoribus, BOECLERO, ZIEGLERO, FELDENO, OSIANDRO, ut & KULPISIO in Colleg. Grot. ad cit. cap. thes. I. sed & STRAUCHIO de Imper. mur. C. I. OBRECHTO Diff. de Communione C. III. aliisque. Conf. tamen PUFEND. de J. N. ac G. L. IV. C. III. & IV. It. Dn. THOMAS. J. D. cit. cap. §. 58. seqq. nec non Fund. J. N. ac G. cit. cap. n. 5. seqq. Add. TITIVM ac BARBEYRACIVM in notis ac Pufend. Ut autem pauca addam, tota mihi controversia in logomachiam abire videtur.

(c)

ctum fuisse nonnulli sunt arbitrati. (c)
 Alii simplicius ac primæva humani generis indoli convenientius esse putant, ut occupationi hic locum faciamus. (d)
 Quod & mihi vero videtur simillimum.

§. IV.

Ut autem res distinctis subjiciantur *Quæ res dominiis, tria necesse est, adsint requi-* *dominii sint captes.*
 sita: I. Ut alicujus sit usus in societate humana; quæ enim nullius sunt usus, ea nec quisquam hominum sibi vindicabit,
 II. Usus iste ita debet esse comparatus, ut sine diffidorum periculo non sufficiat omnibus; nam alias distinctorum dominiorum ratio ac finis deficerent.

O

III

(c) GROTIUS *cit. loco* dubius est, utrum per expressum pactum & divisionem, an vero per pactum tacitum & occupationem transferantur homines e statu communionis ad statum distinctorum dominiorum. PUFENDORFFIUS autem *de J. N. ac G. L. IV. C. IV. §. 4.* divisioni & pacto indulget.

(d) Quos inter est Dn. THOMAS. *in F. J. N. ac G. cit. c. n. 8. in not.* TITIUS *ad Pufend. de O. H. & G. obs. 278.* LOCKIUS *de regimine civili C. IV.* BARBEYRAC. *ad cit. loc. Pufend.* Dn. BUDDEUS *in Theol. moral. P. II. C. III. S. V. §. 35.* Dn. GUNDL. *in J. N. C. XIX. §. 5. seqq.*

(e)

III. Ejusmodi rem oportet apprehensioni atque custodiz ita esse obnoxiam, ut alii ab usu ejus promiscue possint arceri.

§. V.

*Conse-
ctaria.*

Unde consequitur, stultissimum fore, si quis omnino inutilia sibi velit vindicare. Porro, *vastum oceanum* in nullius esse proprietate, cum universo generi humano ad usum navigationis, sine metu dissidiorum sufficiat; nec ulla unquam respublica fuerit, quæ illum ita custodire potuerit, ut ab usu ejus alii fuerint exclusi. Contra vero *maria particularia*, quæ alluunt, vel ingrediuntur territorium, aut in fretum coguntur, in dominio sunt diversarum rerumpublicarum. (e) *Aerem quoque recte accessorium*

(e) Vid. GROTIUS *de mari libero* it. *de J. B. ac P. L. II. C. II. §. 3.* it. *C. III. §. 8. seqq.* Adde SELDENUM *de mari clauso*. STRAUCHIUM *de Imperio maris*. Historiam controversiæ annotavit BOECLERUS *ad Grozium p. 48. seqq.* Cujus summam exhibet BECMANNUS *in sua editione operis Groziani de J. B. ac P. p. 346. seqq.* Conf. PUFEND. *de J. N. ac G. L. IV. C. V. §. 7. seqq.* KULPIS. *Colleg. Grot. p. 37.* CORNELII van BYNCKERSHOEK *dissert. de dominio maris;*

rium terræ, quam ambit, pronuntiamus. Quamvis enim a Principe vel domino terræ privato, innoxius transeunti aeris usus permittatur; ipsa tamen hæc permissio satis ostendit, permittentem gaudere dominio. (S) Idem esse debet iudicium *de aqua profluente.*

§. VI.

Quare evidens est, res in universum commodissime ita distingui posse, ut alias dicamus *dominii capaces*, alias *incapaces*. Earum, quæ domini capaces sunt, alie sunt actu quidem nullius, possunt tamen occupatione in proprietatem redigi; alie vero actu sunt in proprietate constituta. Harum alie rursus sunt in proprietate Imperantium ac rerum publicarum, & dicuntur *publicæ*; alie ad privatos spectant, & audiuntur *privatæ*. Quædam præterea res dicuntur *corporales*,

O 2

quæ

maris: de qua iudicat Dn. THOMAS, ad Huberum de jure Civis. p. 452. seqq. ad in. 43. Conf. Dn. GUNDL. J. N. C. XIX §. 74. seqq. it. TITII Dissertat. de dominio in rebus occupatis ultra possessionem durante. (S) Quid solide evicit Dn. THOMAS, ad Dissert. VI. Seravachii,

(2)

quæ nempe per se in sensus incurrunt; quædam *incorporales*, seu jura, quæ non per se, sed demum per exercitium in sensus incurrunt. Aliæ item sunt *mobiles*, aliæ *immobiles*. Aliæ sunt *fungibiles*, quæ usu consumuntur, & quarum una alterius vice facile fungi potest, si ad idem pondus, vel eandem mensuram, vel eundem numerum res ejusdem generis ejusdemque qualitatis restituatur: quæ secus sunt comparatæ, dicuntur *non fungibiles*. Aliæ quoque res dicuntur *principales*, aliæ *accessoriæ*. Denique & distinguere solemus inter ipsam *rei substantiam* & *fructus*. Horum alios natura aut sola, aut maximam partem ex re producit, & dicuntur *naturales*; alii singularem hominum industriam & culturam requirunt, & dicuntur *industriales*; alii autem non ex ipsa re producuntur, sed occasione ejus, ordinario usu, percipiuntur, qui *civiles* vocantur. Porro alii dicuntur *pendentes*, qui nempe rei adhuc cohærent, alii *percepti*, qui a re separati; (g) alii *percipiendi*, qui neque rei cohæ-

(g) Quando distinctio inter fructus pendentes

cohærent; neque percepti sunt, percipi tamen potuissent, si possessor debita cura ac diligentia usus fuisset. Percepti rursus dividuntur in *exstantes*, qui penes percipientem deprehenduntur, & *consumptos*, qui non amplius apud ipsum exstant.

§. VII.

Diximus antea, Deum homini jus in *De jure* res conditas concessisse, quod nunc pau- *homi-* cis est demonstrandum. Neinpe, qui *num in* vult finem, ille quoque debet velle me- *res.* dia, ad finem necessaria. Cum itaque DEUS conservationem hominum, veramque eorum felicitatem intendat, atque hanc, instar finis, mortalibus ipsis præscripserit; non potuit non simul jus largiri, utendi rebus conditis, & quidem non solum ad necessitatem sed & ad commoditatem. (b)

O 3

§. VIII.

tes & perceptos ad reditus applicatur, illorum nomine veniunt *reditus*, quorum *dies nondum venit*; horum autem nomine *reditus*, quorum *dies venit*, indigitamus.

(b) Quæ demonstratio & ex revelatione potest illustrari. Conf. PUFEND*cit. Capit. III.*
L. IV.

§. VIII.

De jure
dominis
in res
suas.

Posteaquam itaque, hoc jure concesso, singularia orta sunt rerum dominia, jus hominum in res duplex est enatum: nempe jus in res suas, & jus in res alienas. Jus quod cuique est in res suas, *dominium* vocamus. (i) Hoc autem varium est. Nempe aliud *plenum*, seu perfectum, quod possessionem, proprietatem ac facultatem utendi, fruendi, deque re nostra disponendi, continet; aliud *minus plenum*, seu imperfectum, quando hæ partes non sunt conjunctæ. Hoc rursus est vel *directum*, quando quis partem domini cum facultate possidendi atque uten-

L. IV. de J. N. ac G. it. Da. BUDD. cit. loc. §. 14. 15.

(i) Dicendum hic de errore eorum, qui distincta rerum dominia omnino rejecerunt. Qualis error tribuitur non paucis PYTHAGORAEORUM ac PLATONICORUM, itaque ESSENIS, nec non primis ANABAPTISTIS. vid. LUCAS HONIUS: *ad vitam Pythagoræ*. CLERICUS *ad Hammondum Actor. IV. 35*. COLBERGIUS *in Christianismo Hermetico-Platonico. P. II. C. XVII*. Da. BUDDIUS *cit. loco §. 16. 17.*

(k)

utendi, fruendi alteri concessit, servata sibi duntaxat nuda, quæ superest, proprietate; vel *utile*, quo alter gaudet. Porro dominium aliud est *rerum corporalium*, quo res corporales nostræ sunt, quod & solum in strictiori sensu dominium vocatur; aliud *rerum incorporalium*, quo jura ad nos spectant. Aliud præterea est *universale*, quo rerum universitas, seu complexus multarum rerum ad nos spectat; aliud *singulare*, quo res singulares nostræ sunt. Post aliud est pluribus *commune*; aliud *unius proprium*. Item aliud *revocabile*; aliud *irrevocabile*. Denique aliud *privatum*, quod privatorum est, aliud *publicum*, quod est Imperantium ac rerum publicarum.

§. IX.

Porro, ortis distinctis rerum dominiis, jus tamen & in res alienas nobis esse potest, ex voluntate domini. Hoc vulgo distinguimus in *jus in re*, & *jus ad rem*. *Illud* est, quod rem ipsam ita afficit, ut etiam contra tertium possessorem valide urgeri possit: v. gr. *jus servitutis*, itemque *jus pignoris*. Hoc est jus, quo personam habemus obligatam ad rem

De jure hominis in res alienas.

præstandam: quod oritur vel ex alterius promisso, vel ex damno injuria dato. (k)

§. X.

De modis acquirendi.

Ut autem jure in res fruamur, necesse est, ut acquirendi modus præcesserit. Hunc dicimus actum, *quores proxime nostra redditur*, sive jus sit, sive res corporalis. De modis acquirendi præterea observandum, *neminem ordinario sine suo facto jus in res acquirere, aut amittere*; quamvis leges civiles interdum exceptionem a regula pariant. Modus porro acquirendi alius est *originarius*, quo res, quæ antea erat nullius, primum in alicujus potestatem redigitur, ita, ut ab hoc actu origo præsentis dominii, quoad hanc rem, sit derivanda; alius est *derivativus*, quo jus unius in alterum transfertur ac derivatur.

§. XI.

De occupatione, seu modo acquirendi originario.

Modus acquirendi originarius est occupatio, quæ est *actus, quo rem nullius nostram reddimus*. Quæ enim nullius sunt, ea cedunt occupanti; cum nemo de

(k) Conf. PUFEND. de J. N. ac G. L. IV. C. VIII.

de injuria queri possit, quod rem noltri juris fecimus, ubi nil cuiquam juris in rem istam fuit. (l) Ad occupationem requiritur, ut *animum habendi apprehendendique clarius declaremus*; non autem videtur necessarium, ut manu, quod habere volumus, comprehendamus, aut corpore eidem incumbamus. (m)

§. XII.

Occupatio potest distingui in *principalem*, qua dominium rei principalis, quæque per se subsistit, acquiritur, & *accessoriam*, qua res alii accedens acquiritur. Posterior occupationis ratio apparet in fœtura animalium, in alluvione,

O 5

in

(l) Erravit itaque GROTIUS de J. B. ac P. L. II C. III. §. 4. duo esse occupabilia ratus, *imperium & dominium*. Imperium enim non acquiritur occupatione, sed consensu subjiciendorum legitime impetrato; modo imperium parentum in liberos exceperis; quod singulari nititur fundamendo, infra explicandø. Ceterum de acquisitione per occupationem conf. PUFEND. de J. N. ac G. L. IV. C. VI.

(m) Conf. TITII *Jurisprud. priv. Rom. Germ. L. III. C. V. §. 14. seqq.* It Dn. GUNDLINGII J. N. C. XIX. §. 12. seqq.

(n)

in thesauro, in nativitate insulæ, & similibus.

§. XIII.

De occupatione bellica.

Occupationis vulgo tres species constituuntur. Prima est occupatio bellica, qua res hostium in nostram redigimus potestatem. Sed quemadmodum res hostium proprie non sunt nullius, ita nec occupatione nostra fieri possunt. Possidentur itaque tantum interea ac defenduntur, donec in pacificatione de dominio earum conventionem statuatur. (n)

§. XIV.

De venatione.

Altera est venatio, in sensu latiori accepta, quæ aucupium ac piscationem complectitur, quaque animalia, nullius potestati subjecta, nostra reddimus.

§. XV.

De inventione.]

Tertia est inventio, qua res inanimatas, quæ hactenus nullius fuerunt, occupando acquirimus.

§. XVI.

De acquisitione derivativa.

His ita de occupatione in medium propositis, & de modis acquirendi derivativa.

v2-

(n) Plura de occupatione bellica Sectione II, dicemus.

(o)

vativis est agendum. Derivatur autem ac transfertur dominium unius in alterum ordinarie *utriusque facto & consensu*. Dominus enim rei jus suum potest abdicare, idque vel *expressa alienatione aut derelictione*; vel *tacita voluntate*, ipso diuturnæ neglectiois facto perspicue declarata. Quo facto, jus huius in alterum acceptantem est derivatum.

§. XVII.

Quod ut clarius pateat, per specia- *De tradi-*
 lia est eundem, Nempe inter modos *ditione.*
 acquirendi derivativos, & quidem qui actu inter vivos absolvuntur, primo loco recensetur *traditio*; quæ proprie est *rei corporalis, ad dominium & possessionem alteri impertiendam, translatio.* (o)
 Hæc autem requirit precedentem *titulum*, ad transferendum dominium habitum, ex quo apparent animus domini in alterum transferendi; quippe quo deficiente, sola traditio dominium non transferret. Titulus & modus differunt, ut causa remota & proxima. Interim tamen

(o) In sensu tamen analogico & jura traditio dicuntur.

(p)

tamen observandum, *traditionem jure naturali non esse absolute necessariam*; sed sufficere; ut quis vel solis verbis testetur, se alterius gratia jure suo cedere, atque hoc in illum velle translatum. Quodsi enim alter hanc voluntatem acceptaverit, dominium ipsi est acquisitum, & quæ postea accedit traditio, aut apprehensio, possessioni acquirendæ intervit. (p)

§. XVIII.

De divisione.

Porro huc pertinet divisio, *qua plures, commune rei habentes dominium, ad vitandas rixas, e communione discedunt*, ita, ut suam sibi quisque partem singulariter capiat.

§. XIX.

De usucapione.

Nec omittenda hic est usucapio, *quæ domini translatio tacite contingit: quæque est modus acquirendi domini per diu continuatam possessionem.* Tantum enim abest,

(p) Veritatem hac in re jam docuit GROTIUS *de J. B. ac P. L. II. C. VI. §. 1.* Cui adstipulati sunt Commentatores BOECLERUS ac ZIEGLERUS. — It. PUFEND. *de J. N. ac G. L. IV. C. IX. §. 4. seqq.* aliique. Frustra contradicit KULPIS, *in coll. Grot. ad cit. cap. thes. 1.* (q)

abest, ut hæc solius civilis inventum dici possit; ut potius ipsi juri naturali ægentium satis conveniat. (q)

§. XX.

Operæ tamen pretium omnino est, ut *Ejus* in fundamentum ejus universale inquit *-fundamentum* ramus, cum hoc non ab omnibus bene *men-* jactum fuerit. Qui enim ad coercitionem negligentiz eorum, qui sua jactant, provocant, male sibi hic consulunt; cum hæc universalem usucapionis usum demonstrare nequeat ratio, quippe statui tantum civili conformis. Vera itaque ejus ratio ac genuinum fundamentum *in tacita prioris domini derelictione, atque hanc sequuta possessoris occupatione* collocandum. (r) Nullum enim cuiquam dubium jure esse potest, quin tacita æque voluntate, atque expressa, jura no-
stra

(q) Quod contra Vasquium jam defendit GROTIUS L. II. C. IV. §. I. it. BOECLERUS, ZIEGLERUS & KULPIS. *ad cit. loc.* Conf. PUFEND. *de J. N. ac G. L. IV. C. XII. §. 7.*

(r) Ut recte fecit GROTIUS *cit. cap. §. 4. seqq.* PUPEND. *cit. cap. §. 8. 9.* KULPIS. *in coll. Grot. ad cit. cap. thes. 2. &c.*

(s)

fra transferre in alios queamus; modo ex facto claro illa elucescat: quo casu, accedente alterius acceptatione, tacitum adest pactum, non minus obligans, quam expressum, ita, ut protestatio facto contraria nullius deinde sit momenti. Factum autem, ex quo tacita hic voluntas colligitur, est ista agendi ratio, qua quis longo, quod memoriam hominum excedit, tempore res suas aliis relinquit, nec ullum ejus recuperandæ curam ostendit: cum tamen vero non sit simile, ipsum omnino nullum tanto temporis intervallo rei recuperandæ indicium proderere potuisse. Nec obstat, quod forte ignoravit, rem suam in aliorum esse potestate. Nam inde multo magis colligimus, cum propterea accuratam omisisset inquisitionem, quod rem pro derelicta habuit. (r) Quid? quod ad pacem conservandam totius generis humani admodum intersit, ne ob res tamdiu neglectas
li-

(r) Conf. Dn. THOMAS. *Jurispr. div. L. II. C. X. §. 191. seqq.* junct. *Fund. J. N. ac G. n. 16. seqq.* it. Dn. GUNDLING. *J. N. C. XIX. §. 56. seqq.*

lites resuscitentur, aliorumque possessiones ac dominia turbentur. Hoc fundamento posito, quæ de bona fide iustoque titulo alias in doctrina de usucapione adduntur, merito hic omittimus, & jurisprudentiæ particulari relinquimus.

§. XXI.

Ad acquisitionem derivativam vulgo *De acquisitione* etiam accessio refertur. Verum accurate rem ponderanti apparebit, accessionem, sive naturalem, sive artificialem, sive fortuitam, non tam novum acquirendi modum esse, quam acquisitionis derivativæ occasionem. Non enim hic actum est de transferendo dominio; sed potius naturaliter communio oritur, a qua deinde partes, aut suo, aut alieno arbitrio resiliunt, ita, ut suum cuique, prout res patitur, tribuatur. (t)

§. XXII.

Quod ut clarius elucescat, exemplis *Exemplis* rem illustrabimus, a *specificatione* initium facturi. Hæc est, ubi quis ex materia in totum, aut pro parte aliena, novam speciem produxit, sine domini materia

(t) Conf. Dn. GUNDL. *cit. cap. §. 33. seqq.* (u)

teriz consensu. Quando itaque quaritur, cui novæ speciei hoc casu dominium sit tribuendum? simplicissima videtur decisio, si dicamus, rem esse communem; quod si vero communio non placuerit, & materia fuerit fungibilis, specificanti novam speciem esse attribuendam, ita, ut domino materiz pretium refundat. Eadem decisio & in adjunctione, intextura, ædificatione, pictura, scriptura, implantatione, satione, quatenus nempe rerum alienarum separatio locum non habet, obtinebit. In confusione autem & mixtione rerum liquidarum atque aridarum, si communio non placuerit, divisio secundum proportionem diversarum rerum confusarum aut mixtarum est perficienda.

§. XXIII.

De testamentis.

Ad modos acquirendi derivativos mortis causa referunt vulgo testamentum & successionem ab intestato. De quibus itaque nunc agendum, & quidem primo de testamentis. Insignis vero est controversia, utrum testamenta ex principiis juris naturalis & gentium valida sint,

sint, an minus? (x) Ego interim, quid
 hac de re sentiam, exponam. Quod ut
 rite fiat, in primis accurata testamenti de-
 scriptio prazmittenda. Testamentum, pro-
 prie dictum, est *declaratio voluntatis no-*
strae circa successionem in bona nostra, post

P

mor-

(u) GROTIUS *de J. B. ac P. L. II. C. VI. §. 14.*
 affirmativam tuetur. Sed ipsum confun-
 dere testamentum cum pacto successorio
 revocabili, descriptio ab ipso tradita ostendit,
 quae ita habet: *alienatio in mortis e-*
ventum, ante eam revocabilis, retentio in-
terim jure possidendi ac fruendi est testa-
mentum. Quare & PUFENDORFF. *de J.*
N. ac G. L. IV. C. X. §. 4. seqq. in aliam trans-
 iit sententiam. Quam tuetur quoque Du
 COCCEJUS *Dissert. de testamentis Prin-*
cipum. It. Dn. THOMAS. *Dissert. de ori-*
gine successionis testamentariae. Inter pa-
 tronos autem testamentorum hic prae ce-
 teris quoque nominandi: Dn. BUDDEUS,
Dissert. de testamentis summorum Imper-
antium. Conf. Eiusd. *Theol. mor. P. II.*
C. III. Sect. V. §. 21. BARBEYRACIUS *in*
not. ad Pufend. cit. loc. Dn. JEGER *in ob-*
servat. ad Grot. C. VI. L. II. §. 14. Postero-
 ris viri Celeberrimi argumenta non magni
 esse momenti arbitratur. TREUERUS *in*
not. ad Pufend. de Off. H. ac C. p. 269. Dn.
 Buddeo autem ac Barbeyracio distincte re-
 spondet.

(x)

mortem nostram, revocabilis tamen, ita,
ut ex ea non, nisi ab obitu nostro, jus va-
lidam aliis enascatur. Hac præmissa, ita-
 tus controversiæ perspicue est forman-
 dus. Nempe quæstio non est, utrum
 testamenta legi naturali sint adversa?
 sed potius *an lege naturali præcipiatur*
testamentorum validitas? Prius nemo ab-
 solute affirmavit. Ergo altera superest
 quæstio, paucis explicanda. *Regulam*
justi testamentorum validitatem non præ-
cipere, in aprico est positum, cum nul-
 lum heredis jus quæsitum possit osten-
 di. Ex descriptione enim patet, testa-
 mentum esse ejusmodi voluntatis decla-
 rationem, ex qua jus demum ab obitu
 nostro accipiant scripti heredes, vel le-
 gatarii. Unde consequitur, testatorem
 jus integrum in res suas usque ad ulti-
 mum vitæ halitum factum rectumque
 conservasse. Hoc autem emisso, ipse &
 jura sua amisit; quippe quæ in alium post
 mortem suam transferre non potuit, cum
 velle desierit. Quod itaque jus scripti
 heredes vel legatarii neque a vivo testa-
 tore acceperunt, neque post excessum e-
 jus acquirere quiverunt; id profecto &
 nul-

nullum est pronuntiandum, ac simul
 confitendum, bona defuncti jam perti-
 nere ad res nullius, quæ, salvis regulis
 justæ naturalis, ni alia obstant, cedunt
 proxime cuique occupanti. Quamvis
 vero ex dictis manifestum sit, bona de-
 functi isto casu occupantem nullam he-
 redibus scriptis aut legatariis injuriam
 facere, adeoque nec injustitiæ posse accu-
 sari; inquirendum tamen adhuc est, *an*
salvæ sint regulæ honesti & decori? Jam
 vero certum est atque evictum, testato-
 rem singularis commodi occasionem
 heredibus ac legatariis obtulisse. Quan-
 tum hi non neglexerint; sed ad acce-
 ptandum potius promptissimi sint para-
 tissimique; pravo oportet ductos esse
 adfectu, qui aliis singulari ratione obla-
 tam commodi occasionem præripiunt.
 Quod utique regulis honesti & decori
 est adversum.

§. XXIV.

Quod ad successionem ab intestato *De suc-*
 attinet, licet plerique eam modum ac-^{cessione}
 quirendi derivativum ex tacita, vel præ-^{ab intes-}
 sumta defuncti voluntate ortum, immo ^{testato.}

testamentum tacitum pronuntient ; (x) nobis tamēn hęc non sufficiunt. Nam & hic verum est, quod ante diximus, dominum, qui vivus nil juris in alios transulit, res suas ex hac vita excedentem dereliquisse, easque tunc esse res nullius. Tacita voluntas ex facto quodam perspicuo est colligenda, quale hic demonstrari nequit. Præsumtus consensus ad leges civiles suas refert origines, adeoque hic urgeri nequit. Consensus gentium non constituit jus naturæ ac gentium. Si itaque a moribus ac legibus humanis abstrahimus, successio ab intestato non magis firmo ac stabili nititur fundamento, quam successio testamentaria. (y)

§. XXV.

Conse-
ctarium

Quibus ita demonstratis, consequitur,

&

(x) Vid. GROTIUS. L. II. C. VII. KULPIS. in Coll. Grot. ad cit. cap. PUFEND. de J. N. ac G. L. IV. C. XI

(y) Conf. Dn. THOMAS. Jurispr. div. L. II. G. X. §. 178. seqq. it. Fund. J. N. ac G. cit. cap. §. 15. Dn. GUNDEL. J. N. C. XIX. §. 65. seqq. TREUER. in notis ad Pufend. de Off. II. no. C. L. I. C. XII. §. 10. seqq.

& unicum duntaxat de jure naturali ac ^{de unico} gentium esse modum acquirendi deriva- ^{modo ac-} tivum, nempe pactum vel disertum, vel ^{quir. de} tacitum, traditione plerumque confirma- ^{rivati-} tum; quemadmodum sola occupatio est ^{vo.} modus acquirendi originarius.

§. XXVI.

Quicumque vero, sive hoc, sive illo ^{De effe-} modo, dominium acquisivit; ad hunc ^{ctu do-} ordinarie res quoque cum plenissimo ef- ^{minii.} fectu pertinet. Quare gaudet facultate, omnem ex ea *utilitatem percipiendi, a-
lios ab ejus usu excludendi, deque eadem
pro lubitu disponendi*, ni pacta, aut leges civiles obstiterint; salvis tamen regulis honesti, decori ac prudentiæ. Posita hac libertate, vel integrum potest retinere jus domini, vel variis idem conventionibus circumscribere. Unde feudum, emphyteusis, superficies, servitutes ac pignora oriuntur.

§. XXVII.

Tandem & paucis, quid de possessio- ^{De pos-} ne in jurisprudentiâ naturali statuendum, ^{sessione.} adhuc indicabimus. Hæc vero quamvis in facto consistat, sæpe tamen jus producit; quemadmodum pactum, quod

pariter est factum. Intuitu enim occupationis, vel etiam traditionis, justo titulo innitentis, *possessio aut verum dominium, aut jus huic simile producit.* Quod si vero jam ante possessionem nobis fuerit *jus questitum*, hoc ipsum illa *confirmat.* Nonnunquam etiam *conjecturam pro jure parit.* Est enim maxime naturale, ut ei, qui hactenus sibi jus asseruit, atque actus possessorios exercuit, tandiu illud relinquamus, donec alius contrarium probaverit. Hoc autem facto, inquirendum, utrum possessor sciverit verum rei dominum, an ignoraverit. Priori casu *male*, posteriori *bonae fidei possessor* audit. (z)

§. XXVIII.

De officiis hominum intuitu distinctorum dominiorum. Superest, ut & officia hominum intuitu distinctorum dominiorum explicemus. Quae autem sint cuique officii rationes observandae *intuitu rerum suo dominio obnoxiarum*; id quidem ex iis, quae de officio hominis erga Deum, erga se ipsum & erga alios homines supra incul-

(z) Ita rem accurate jam demonstravit Dn. GUNDLING. cit. *loc. cit.* §. 98. seqq.

culcavimus, abunde patebit. Quare duntaxat est ostendendum, quomodo quisque intuitu rerum, quae sunt alterius, se se gerere debeat. Hic autem res suas, vel adhuc possidet, vel earum possessionem amisit. Priori casu cavendum est, ne ipsum dominio ac possessione rerum suarum privemus, vel ullo modo jura ipsius, quibus vi domini in res suas gaudet, turbemus, aut violemus: quippe quae omnia regulae justae naturalis e diametro sunt adversa. Posteriori casu, aut res erit in nostra, aut in aliorum potestate. Si hoc est, regula honesti & decori praecipit, ut pro viribus ad res recuperandas ipsi simus auxilio. Sin ipsi rem alienam possidemus, bona fide; non quidem obligati sumus, ut jus possidendi, quo gaudemus, scrupulosius in dubium vocemus. Simulac vero compertum nobis fuit, rem esse alterius, ad restitutionem ex regula justae sumus obligati; & quidem ita, ut pretium, quo rem emimus, a domino repetere nequeamus; quippe qui rem suam jure domini vindicat; adeoque ad pretium ejus solvendum, nullo modo dici potest obligatus.

Aliud foret, si quis rem alterius redimendo ab interitu liberaverit, non eum in finem, ut sibi possideret, sed domino conservaret. Hoc enim casu, ut negotiorum gestor, redemptionis pretium a domino utique jure suo reposcit. Quid? quod dominus, rem suam ab alio recipiens, ad impensas, utiles non minus, quam necessarias reparandas nunquam non est obligatus. *Quodsi consumpta sit*, bonæ fidei possessor ad tantum restituendum erit obligatus, quantum factus fuit locupletior; cum nemo debeat reddi locupletior cum damno alterius. Pari modo, quantum ad bonæ fidei possessorem; & *de fructibus*, tum exstantibus, tum consumptis, erit pronuntiandum. Interim fallor, difficillimum plerumque esse probatu, quantum quis locupletior sit redditus. *Mala autem fidei possessor* omnia, quin *et fructus percipiendos*, ex regula justitiae restituere debet. Hic enim, cum malitia ac negligentia sua effecerit, ut dominus fructibus carere debeat, quos alias percipere potuisset; damnum inde redundans utique persolvere tenetur, quamvis fructus nec ipse perciperit. Sufficit, ipsum

ipsum hos percipere potuisse, si diligentius, boni instar patrisfamilias, rem collisset tractassetque. (zz)

§. XXIX.

Quæ de dominii acquisitione, nec non de officio ac jure hominum circa rerum dominia, itemque de effectu dominii diximus, quin & in statu naturali inter personas ac respublicas liberas locum habeoant, nullum cuiquam dubium esse potest.

Applicatio ad Sr. natur.

§. XXX.

Occupant itaque res nullius jure suo, nec quemquam hoc ipso injuria afficiunt. Quodsi autem vacua non sit res, sed in aliorum possessione ac potestate, secus est pronuntiandum. Nec religionis diversitas, nec Papæ liberalis de bonis infidelium concessio singulare jus producit. Sufficit, vero, ad retinendum dominium, terras fuisse occupatas, nec

De occupatione.

P 5

signa

(zz). Vid. GROTI. L. II. C. X. PUFEND. de Off. H. ac C. L. I. C. XXI. it. de J. N. ac G. L. IV. C. XIII. Ubi casus specialiores proponuntur, ex his fundamentis facile decidendi. Conf. KULPIS. Colleg. Grot. ad cit.

cap.

(aa)

signa derelictionis ostensa; quamvis forte non perpetuo possideantur. De feris bestiis idem dicendum. Nec in occupatione accessoria hic novi quid docendum. (aa)

§. XXXI.

De alluvione.

Interim tamen de alluvione specialius ac distinctius est agendum. Aut enim *fluvius communis*, utriusque territorium distinguit, aut *uni soli proprius*, & positi sunt ab altera parte peculiare limites. Priori casu quidquid unius populi agris per alluvionem adjicitur, hic etiam acquirit; posteriori autem cedit occupanti, quod adjectum est; cum ab hujus populi terris singularibus limitibus distinguatur. (bb)

§. XXXII.

De alveo derelicto.

Quod si vero amissis mutaverit alveum; controversa est questio, *utrum sit vel imperii terminus sit mutatus?* Non male

(aa) Conf. GROTI. L. II. C. VIII. it. Dn. GUNDL. J. N. Cap. XX.

(bb) Conf. GROTI. L. II. Cap. III. §. 16. Item KULPIS. *colleg. Grot. cit. cap. thes. 3.* Adde tamen Dn. GUNDL. *cit. l. §. 7.*

(cc)

male videntur ratiocinari, qui hoc casu *manere alveum imperii terminum* arbitrantur; (cc) ea quidem ratione moti, quod flumen, etiam qua imperii fines terminat, non consideretur nude, qua aqua est; sed qua aqua, alveo tali fluens, ripisque talibus inclusa. Cum, si exaruisset flumen, imperii terminus sine dubio alvei medietas maneret, *nisi* pactio- nibus ita conventum, ut *flumen sit uni proprium*, vel ita se res ab antiquissimis temporibus jam habuerit. (dd) Quod si forte alter solus vectigal exegisset, aut jus piscandi exercuisset in flumine, quod veteri alveo derelicto, per nostrum nunc transit territorium; eadem sibi jura in novo flumine non potest vindicare; quippe

(cc) Veluti GROTIUS *de J. B. ac P. L. II. C. III. §. 17.* ibique BOECLERUS. *it. VITRIARIUS. in Instit. J. N. ac G. L. II. C. III. quest. 16.* Conf. PUFEND. *de J. N. ac G. L. IV. C. VII. §. 11.* Male autem distinctio inter agros limitatos & arcifinios ad regna applicatur: quod jam notavit GRONOVIVS *ad Grot. cit. loco,* & BARBEYR. *ad Pufend. cit. loca.*

(dd) GROTIUS *cit. cap. §. 17.* ibique GRONOVIVS & TESMARUS.

(cc)

quippe quæ ad flumen in veteri alveo fuere adstricta. Excipiendus tamen casus, ubi flumen facto nostro fuit aversum; quod licitum haud potest censerī, etiam eo ipso jus alterius violemus. (cc)

§. XXXIII.

De insulis. Insulæ in flumine natæ pertinent ad populum, cuius est flumen. Quod si hoc commune sit, & utriusque erunt insulæ. (ff) Idem observandum de insulis, quæ in maribus particularibus oriuntur.

§. XXXIV.

De pago in alicuius territorio translatō. Curiosa est quæstio de pago, terræ motu in territorium alienum translato. (gg) Alii pagum vel agrum ejusmodi tribuunt domino territorii, cui accessit. Ego potius communem esse arbitror; cum æquum sit, ut damnum fortuitum hoc casu ferat uterque.

§. XXXV.

De usucapione. Usucapio quin inter liberas gentes capum-

(cc) Dn. GUNDL. J. N. C. XX. §. 8.

(ff) GROTIUS L. II. C. VIII. §. 9.

(gg) Ejusmodi translationem non fingi, sed actu contigisse, testatur HUBERUS in digressionibus P. I. Tit. IV. cap. 22. Quem sequitur Dn. GUNDL. cit. cap. XX. §. 11.

earumque summa capita locum habeat, nullum cuiquam superesse dubium potest, qui supra dicta accuratius consideraverit. Quæ contradicentes in medium proferunt, perversam usucapionis ideam demonstrant, (bb) neque adeo veritati & nobis defensæ nocent. Neque ad conservationem juris facit *continua solius tituli usurpatio*, quippe quæ, si alia argumenta pro juris conservatione deficiant, nihil aut parum operabitur. (ii)

§. XXXVI

(bb) Huc pertinent PETRI PUTEANI argumenta, scripto Gallico proposita, cui titulus: *Traité, touchants les droits de Roy très chretien sur plusieurs états & seigneurias, possédés par divers Princes voisins &c. Par: Msr. du Puy*. Cujus primæ editio prodiit Parisiis 1655. Huic scripto potissimum opposita est WERLHOFII *dissert. de prescriptione inter liberas gentes*. Conf. HOCHSTETTERI *Colleg. Pufend. p. 348. seqq.* Ubi non solum Grotium defendit, sed & summam argumenta Puteani potiora exponit, atque sub eadem revocat.

(ii) Quod in controversiis Imperatorum cum Pontifice Romano, nec non Regum Angliæ Gallicæque & similibus est applicandum. Conf. meditationes Dn. THOMASII in *specim. jurispr. judicialis cap. III. tit. Fund. J. N. as G. L. II. Cap. X. n. 16.* (kk)

§. XXXVI.

*De re-
stam.Im-
peran-
tium.*

Porro ex dictis facile patet, quid de testamentis codicillisque summorum Imperantium sit judicandum. Nempe hæc, nisi moribus legibusque regni, vel singulari pacto sint firmata, ex præcepto legis naturalis jus nemini tribuunt. Quodsi vero ex voluntate populi Imperans testamento successorem nominaverit, hic non vi testamenti, in se spectati, sed ex voluntate populi succedit, per Imperantem, velut interpretem, declarata. Quid? quod sæpissime pacta successoria, ex voluntate populi ab Imperantibus ante obitum perfecta, immo nominationes successorum, ab obitu Imperantis voluntate populi confirmatas, cum testamentaria dispositione scriptores confundunt. (kk)

§. XXXVII.

*De exho-
relatio-
ne.*

Concludimus inde præterea, Principem

(kk) Vid. in primis *dissert.* Dni. COCCEII de *testam. summorum Imperant.* Conf. reliqua scripta supra ad §. 23. adducta. Auld. Dni. GUNDL. *J. N. cit. cap. XX. §. 13. seqq.* Revoca simul in memoriam, que de codicillis Ludovici XIV. ab obitu ejus jure neglectis, paucis abhinc annis, publica fide tradita accepimus. (ll)

pem nequidem ob gravissimam injuriam filium exheredare regnoque privare posse; *tunc regnum vere fuerit patrimoniale.* (II) Cum enim testamentum vel codicillus, quo exhereditatio concepta, jure naturali solo non fulciatur; ita, ut sine ulla alicujus injuria negligi possit; consequitur profecto, populum non peccare, si filium exheredatum nihilominus Regem sibi constituat; neque filium religioni sibi ducere oportere, quod jus succedendi urgeat. Quinimmo si vel maxime populus liberam Regi potestatem indulgisset, de successione disponendi, addita facultate indignos etiam excludendi; omnia tamen hic agit Princeps ex voluntate populi. Quare nullum est dubium, quin hic ab obitu Principis, sine ulla alicujus injuria, voluntatem possit mutare, quia ex ultima hac voluntate nondum alicui jus fuit *quasi-*
tum

(II) De regno patrimoniali secus statuit GROTIVS L. II. C. VII. §. 25. cui adstipulantur commentatores. Dicendum hic etiam de exemplis tum a Grotio ipso, tum a commentatore TESMARO, adductis.

(III)

tum, ob deficientem acceptationem. Multo minus filius, ob gravissima in patrem vel regnum delicta, tacite potest exheredatus cenferi. (*mm*)

§. XXXVIII.

De successione ab intestato.

Quod ad successionem ab intestato in regna ac principatus attinet, nihil eorum, quæ supra inculcavi, hic sunt mutanda. Integrum enim hic jus succedendi conventionem cum populo normani habet, qua familiæ regnatrici successio fuit concessa. (*nn*)

§. XXXIX.

De bonis naufragorum.

Denique operæ pretium videtur, speciatim inquirere, utrum liberis personis ac civitatibus liceat in statu naturali, aliorum, qui naufragium passi fuerunt, bona occupando sibi vindicare. Mihi profecto res videtur maxime injusta. Occupanda

(*mm*) Erravit itaque iterum GROTIUS, qui tacitam exheredationem statuit, *cit. loc.* — Notatus ea propter KVLPIUS in *Colleg. Grot. Ad cit. cap. thes. 5.* BOECLERY'S *ad cit. loc.* dubius est.

(*nn*) Specialiora de hac successione, quæ in civitatibus obtinet, innotuit, *Sect. II. in medium producentur.*

(00)

pandæ sunt res nullius. Quis autem bona naufragorum pro rebus nullius venditabit? *Nulla enim hic derelictio*, sive diserta, sive tacita, potest demonstrari. Quare evidens est, naufragium passos jus integrum in res suas conservare, quamvis ad littus nostrum fuerint appulsi. Atque adeo & in ipsos injurii sumus, dum, occupando res istas, illorum jura injuste turbamus. Id tamen legi naturali non repugnat, ut *opera*, in ejusmodi res occupatas impensa, *pretium* a dominis poscamus (oo)

§. XL.

Eorum, quæ supra exposuimus, non *Applicatio ad St. Civ.* nulla in statu civili aliter esse statuta, rerum peritis non est obscurum. Potest etiam hoc jure fieri in omnibus, quæ lege naturali non sunt absolute præcepta. Jure itaque suo Imperantes subjectis injungunt, ut *traditione*, aliisque solemnibus, ad transferendum dominium necessario

Q

fario

(oo) Conf. GROTI. I. II. C. IV. §. 5. C. VII. §. 1. ibique BOECLERVS, ZIEGLERVS & TESMARVS. Add. PVFEND. de F. N. ac G. L. IV. Cap. VI. §. 12. ibique BARBEYR. n. 8. in not.

(pp)

fario utantur, ita, ut sciant, sine his dominium non ceteri translatum. Hæc enim faciunt, ut de animo transferendi eo clarius constet. Jure suo facultatem venandi, piscandi, navigandi, & quæ sunt generis ejusdem, *jure naturalis permessa*, in salutem reipublicæ *temperant ac circumscribunt*. Jure quoque suo in genere possunt præcipere civibus, ne *res nullius* sibi tribuant, sed eas potius *fisco Principis relinquunt*. Jure quoque suo *testamentis ac successibus ab intestato* suppetias tulerunt. Utrum autem regulæ prudentiæ conforme fuerit, testamenta in rempublicam recipere, alia est quæstio. (pp) Interea prudenter in civitatibus, ubi usû frequentissimo invaluerunt, a Principe tolerantur. Successiones ab intestato in civitatibus prudentia boni-

(pp) Quam adfirmavit PVFEND. de J. N. ac G. L. IV. C. X. §. 6. negativam autem prolixius defendit Dn. THOMAS. in *dissert. de origine success. Testam. §. 39. seqq.* Et brevibus in *Fund. J. N. ac G. L. II. C. X. n. 12.* Quid? quod & STRYKIUS in *cautel. testament.* optavit, ne forent testamenta. Sane enim profecto infinitarum litium occasiones.

(49)

bonique ordinis inter cives conservandi
 studium produxerunt, ne scilicet vaga
 occupatio turbas excitaret. In *usuca-*
pione specialiora recte definit civitas.
 Quod autem jus canonicum & in pre-
 scriptione longissimi temporis perpetu-
 am requisiverit bonam fidem; id profe-
 cto non tam pietas, quam singulare cle-
 ri commodum efficit. (99) *Effectus* quo-
 que *dominii* civitas jure suo restringit.
 Id vero iniquitatem spirat, quando *bona*
subjectorum, qui *navfragium* passi sunt,
 fisco suo Princeps adscribit: cum nulla
 hic sit derelictio, nullum delictum, nul-
 laque adeo ratio, jure suo subjectum
 privandi, ejusque calamitatem augendi.

CAP. IX.

DE OFFICIO AC JURE
HOMINUMCIRCA
RERUM PRETIA.

§. I.

Posteaquam distincta rerum dominia *Commo-*
 fuerunt *xio.*

(99) Vid. Dn. COCCEJI *dissert. de finibus*
bona fidei in prescript. regendis. (a)

suere introducta, orta quoque sunt commercia, quæ rerum pretia produxere.

§. II.

Descriptio pretii. Pretium autem est quantitas moralis, rebus & actionibus, quæ sunt in commercio, consensu hominum attributa, secundum quam illæ vel æquales, vel inæquales æstimantur.

§. III.

De pretio vulgari. Distinguitur pretium in vulgare atque eminens. Illud vulgo dicitur, quod rei ipsi inest. (a) Cum autem pretium non sit in re ipsa, sed extra eam, vulgare pretium potius dicimus, quod ex *comparatione & relatione rerum vulgarium oritur*: Initio enim in commerciis permutatio viguit, quæ comparisonem rerum vulgarium inter se permutandarum necessario requisivit. Hac autem comparatione instituta, tandem homines oportuit certam definire utriusque rei quantitatem, qua æqualitas vel inæqualitas earum appareret.

§. IV.

(a) Vid. e.g. TITIVS; nec non BARBEYR. *ad Pufend.* it. Dn. BUDD. aliique. Sed confunditur tunc fundamentum pretii cum ipso pretio.

(b)

§ IV.

Pretium eminens oritur ex compara- *De pre-*
tione rerum & actionum vulgarium cum *tio emi-*
nummo. Posteaquam enim simplicior *nenti.*
 vita in commodiorem & luxuriosam de-
 generavit, vulgare pretium non potuit
 sufficere; sed necesse profecto fuit, ut rei
 alicui, quæ univèrsa fere ac singula di-
 metitur, atque adeo super alia eminet,
 singulare pretium fuerit statutum. Hanc
 rem oportebat esse raram, substantiæ
 valde compactæ, nec non tractationi, di-
 visioni & custodiæ aptissimam, qualis est
 nummus aureus, vel argenteus. Non
 equidem negamus viliores non uno in
 loco materiam nummi locum occupa-
 re; (b) sed id vel necessitati vel stupi-
 ditati tribuendum.

Q 3

§. V.

(b) Vid. PUFEND. de J. N. ac G. L. V. C. I.
 §. 12. 13. Quando autem existimat, pretium
 eminens conventioni gentium tacitæ ori-
 gines debere, censuram profecto meretur;
 cum id pactum non possit demonstrare. Li-
 bera potius hic alleganda est imitatio.
 Conf. SPANHEMII *Dissert. de præstantia*
& usu numismatum. a LINGEN *schedi-*
asma de origine & inventaribus pecuniæ.
 TREVERUS *ad Pufend. de Off. H. ac C.*
 L. I. C. XIV. §. 2. not. 2. (c)

§. V.

De pretio communi & affectionis. Porro pretium aliud est commune, aliud pretium affectionis. Illud est, quando rebus nostris pretium statuimus, communiter in commercio receptum. Hoc vero est, quando in definiendo pretio non usum communem, sed singularem potius adfectum ducem sequimur.

§. VI.

De pretio conuentionis & legitimo. Præterea pretium aliud est conuentionale, quod conuentione commercantium producitur; aliud legitimum, quod lege superioris est definitum.

§. VII.

Fundamentum pretii. Quoniam autem homines in estimatione rerum suarum certam rationem certumque fundamentum sequuti sunt; & fundamentum hoc erit indicandum. Quod qui in indigentia constituunt, ac profecto rem non tetigerunt. (c) Indigentia enim fundamentum quidem est com-

(c) Facit id GROTIUS L. II. C. XII. §. 14. notatus ea propter TESMARO in commentat. ad cit. §. lit. b. it. PUFFENDORFFIO de J. N. ac G. cit. cap. §. 4. aliisque. Conf. BOECLERI Dissert. de mensura pretii.

(d)

commerciū in uniuersum, non autem fundamentum proximum pretii. Quid? quod sæpissime rebus statuatur pretium, quibus facillime homines carere possunt. Propius itaque a veritate absunt, qui *apud iudicem ad usum in vita humana præstandum* pro fundamento allegant. (d) Res enim nullius usus etiam dicuntur res nullius pretii. Quemadmodum autem nec hac sententia notam censoriam potuit effugere; (e) ita melius actum videtur, si *utilitatem ac raritatem* in hac questione coniungamus, atque utramque esse fundamentum pretii statuamus. Ad dendum tamen est, oportere rem esse *in commercio*, ut ratio pateat, quare res eximii usus, atque insignis etiam raritatis, nullo æstimentur pretio. (f) Quemadmodum

Q 4

modum

(d) Quæ est sententia PUFENDORFFII de *Off. H. & C. cit. cap. §. 3. de J. N. ac G. cit. cap. §. 6.* quem sequuntur plures.

(e) Quam applicuerunt TITIUS ac BARBEYR. A quibus tamen Pufendorffium ac simul se ipsum defendit Dn. BUDDEUS in *Theol. moral. P. II. C. III. S. V. §. 24. not. **

(f) Exempli loco esse potest gratia DEI. Quæ occasione dicendum de Crimine Simoniz.

modum autem *utilitas ac raritas* alia vera est, alia *imaginaria*; ita observandum, utramque, ac sæpissime imaginariam, pretium rerum producere. Quæritur enim, quæso! pretia rebus nauci yana statuit imaginatio, ambitione aut voluptate incitante?

§. VIII.

*Ratio
pretii
aucti vel
diminuti.*

Eadem quoque *raritas*, major vel minor pretium vel intendit, vel minuit; Uti nimia rerum abundantia interdum pretium omnino tollit. Ac profecto causæ & circumstantiæ variz, quæ pro augmento pretii ab aliis adducuntur, (g) in raritatem, quamvis sæpe imaginariam ac stultam, omnes possunt resolvere. Multitudo enim emtorum, insignis æris copia, commodus loci situs, temporis opportunitas, urgens necessitas, multorum periculorum constans ad rem comparandam

moniz. Conf. JÆGERUM de *Simonia curiæ Romanæ*, PERTSCHII *Tractatum de Simonia*. Sic nec folis & similitum rerum pretium potest definiri.

(g) Vid. BOECLERI *Dissert. de mensura pretii*. PUFEND. de *Off. H. ac C. L. I. C. XIV. §. 4.* ibique TITUS in *observat.*

(h)

dam perperſio, terræ frugalitas, humana viciorum indoles, operis ſubtilitas, vel difficultas, celebratiſſima artificis fama, illuſtris auctoris progenies, & quæ ſunt generis ejuſdem alia, raritatis nomine breviffime enuntiantur. (b)

§. IX.

Officium hominum circa rerum pre- De offi-
tia ſequenti præcepto includitur: ITA cio circa
RES TUAS ÆSTIMA, NE ALIOS rerum
DECIPIAS, AUT OFFICIA HU- pretia.
MANITATIS NEGLIGAS, AUT TI-
BI IPSI SIS DETRIMENTO. Prius
regula juſti præcipit; alterum regula ho-
neſti & decori; tertiam præcipue regu-
la prudentiæ. Sic injurius eſt in alterum,
qui virtutem rei, quæ non adeſt, ſciens
commendat, ut pretium rei augeatur. In-
honeſtus verò atque indecorus foret, qui
egeſtate laboranti res ſuas carius vende-
ret. Eodem vitio contaminaretur, qui
res viliores, atque ubivis obvias, magni

Q. 5

æſti-

(b) Conf. Dn. COCCEJI *Differt. de pretio affectionis & amenitatis*. Dn. THOMAS. *Differt. de pretio in res, fungib. non caden. re.* Dn. GUNDL. *J. N. C. XXII. §. 12. 13.*

(2)

astimaret, eo, quod lux sunt. Hic enim pravis procul dubio adfectibus ducitur, adeoque merito inhonestus audit atque indecorus. Quid? quod hoc modo agens emptorem vix inveniret, adeoque & sibi ipsi imprudens detrimento esset. Sic & in regulas prudentiæ maximopere peccaret, qui ita inepte rerum cupiditate flagraret, ut statim, quod alter stolidè postulat, stultus exsolvat.

§. X.

De jure hominum circa rer. pretia. Quibus positis fundamentis quantum ad legem naturalem attinet, *jus cuique integrum est, rebus suis pretium statuendi*, idemque tandem conventionè cum aliis definiendi. Quinimmo, si solam justì regulam respicimus, nec is peccat, qui pretio affectionis, vel in rebus suis fungibilibus vilioribus indulget; quamvis, ubi rectam rationem exacte sequimur, atque adeo & regulas honesti, decori ac prudentiæ expendimus, intellectu sit facillimum, pretium affectionis in res fungibiles vulgares non cadere. (1)

§. XI.

(1) Conf. cit. diff. Dni. COCCEJI & THOMASII.

(1)

§. XI.

Quæ libertas uti in statu naturali debet esse illibata: ita tamen nullum quoque est dubium, quin in statu civili imperantes eandem jure suo possint circumscribere. Unde oritur *pretium legale*, ad quod cives adeo sunt adstricti, ut vel minima læsio attendatur. Cessante pretio legali, & in civitate pretio *conventionali*, tum *communis*, tum *affectionis*, locus est relinquendus. Ceterum in potestate Imperantium ac rerum publicarum liberarum est positum, *nummi valorem definire*, eumque pro arbitrio *signare*. Quæ tamen libertas determinandi valorem nummi ita ex regulis honesti, decori ac prudentiæ est usurpanda, ut partim raritas materiæ, major, aut minor; partim commune civium judicium; partim aliarum gentium mores ob oculos versentur.

CAP. X.

DE OFFICIO AC JURE
CONTRAHENTIUM.

§. I.

Commercium ac rerum pretia variis quo-

Applicatio ad St. Nat. & civ.

Connexio &

*descri-
ptio con-
tractu-
um.*

quoque contractibus locum fecere. Dicuntur autem *contractus ejusmodi conventiones, quibus commutatio rerum in commercium venientium peragitur.* (a) Interim tamen simul observandum est, inter pactum & contractum, quando a legibus Romanis abstrahimus, nil discriminis realis intercedere; sed contractus esse reapse species pactorum, singularibus, ob frequentiore usum, nominibus distinctas. (b)

§. II.

*Divisio
eorum.*

Dividere possumus contractus in *principales & accessorias*: illos rursus in *beneficos & onerosos*. Porro contractus alius potest esse *simplex*, alius *compositus*, qualis est cambium, in quo plura ac varia pacta concurrunt. Subtiliores con-

tra-

(a) Vid. PUFEND. *de Off. H. ac C. L. I. C. XV.*

§. 1. it. *de J. N. ac G. L. V. C. II. §. 1. seqq.*

(b) VITRIARIUS quidem in *J. N. ac G. L. II. C. XII. §. 2.* quatuor adducit momenta, quibus pacta a contractibus reapse putat distingui. Verum ea ad forum juris civilis pertinere, rem accurate perpenderit facile patebit. Conf. TREVERUS *ad tit. loc. Pufend. it. WEBERUS ibid.*

(c)

tractuum divisiones, quas jurisprudentia Romana sistit, merito omittimus, quippe quas *singulares status Romani rationes produxerant.* (c)

§. III.

Contractus beneficis est ejusmodi con- *De con-*
tr. bene-
ficiis.
ventio, qua commodum aliquod alteri gra-
tis conciliamus. In ejusmodi itaque
contractu non æqualitas intenditur, sed
potius *inequalitas.* Quod autem ab ini-
tío erat liberi arbitrii, id deinde, post
promissum perfectum, fit necessitatis.
Interèa tamen *beneficium in promittentis*
damnum non est vertendum. Denique
hic notandum, quamvis beneficium *in-*
vito non possit obtrudi, nihil tamen ob-
stare,

(c) Perperam itaque KULPISIUS in *colleg. Græc. Libr. II. C. XII. Thes. I. not. (a)* has divisiones in doctrina juris naturæ ac gentium repetit & contra GROTIUM urget. Ceterum conf. PUFEND. *de F. N. ac G. cit. cap. §. 5. seqq.* ibique HERTIUS. Dn. THOMAS. *Jurispr. div. L. II. C. XI. §. 57. seqq.* Adde, quæ BRENEYSENIUS *de inutilibus pactorum & stipulationum divisionibus* contra Jacos celeberrimos disputavit.

(d)

stare, quo minus *ignoranti* atque *absenti* fiat.

§. IV.

De officio hominum intuitu bonorum contractuum.

Cum itaque ex dictis pateat, contractus beneficos ad stabiliendam inter mortales amicitiam non parum facere, consequitur profecto, unumquemque ex regulis honesti, decori ac prudentiæ obligari, ut, pro viribus, occasione ejusmodi contractuum, aliis bene faciat, eosque hac ratione sibi obstrictos reddat. (d) Contra vero alterum, cui ejusmodi contractu bene fuit factum, gratum oportet animum demonstrare.

§. V.

De jure intuitu bonorum contractuum.

Quamvis vero ex dictis etiam sit manifestum, nullum alicui jus esse, alterum ad contractum beneficium cogendi; *post perfectum tamen contractum, acceptanti omnino jus est*, promittentem ad implendum promissum, vel vi in subsidium vocata, adigendi. Contra vero, cum nemini beneficium debeat damno esse, nec quisquam cum damno alterius locupletior

(d) Revocanda hic in memoriam, quæ supra de officiis humanitatis inculcavimus.

(e)

tior reddi, *jus quoque est promittenti, ob casum urgentis necessitatis promissum revocandi ; itemque impensas in promissi consummationem factas, ni eas diserte donaverit, repetendi.*

§. VI.

Contractus benefici in duas commo- Distin-
de classes distingui possunt. ctio con-
Aut enim dominus re sua alteri commodum vult tractu-
conciliare: quod fit in donatione, com- um be-
modato ac mutuo; aut alter domino vel nefico-
custodia rerum, vel administratione nego- rum.
tiorum inservire studet: quod in depo-
sito cernimus ac mandato.

§. VII.

Inter contractus beneficos primum De do-
locum occupat donatio: (e) natione.
quæ est conventio, qua quis, liberalitate motus,
rem gratis in alterum transferendam pro-
mittit, vel debitum alicui condonat. Fun-
damentum ejus est liberalitas, ut ex de-
scriptione patet. Atque ita se res habet,
non solum in ea specie, quam simplicem

VO-

(e) Noli mirari, quod donationem in contractuum classe colloco, apices juris civilis hic nil motatus.

(f)

vocant donationem ; sed & in remuneratoria ; cum alter me ad remunerandum cogere nullo jure queat. Qui vero liberalitate permotus valide promisit, atque animum donandi satis declaravit, perfecte deinde est obligatus , nisi ipse jam indigeat ; adeoque & alteri jus cogendi est tribuendum. Regulæ tamen honesti, decori ac prudentiæ suadebunt, ne huic juri nimis indulgeat. Quod & in reliquis contractibus beneficis observandum.

§. VIII.

De mutuo.

Mutuum est contractus beneficus, quo agitur de re fungibili gratis ita in alterum transferenda, ut certa die res ejusdem generis ejusdemque qualitatis ac quantitatis restituatur. Consumitio, quam accipiens mutuum intendit, translationem domini requirit : quapropter nec hanc in mutuo statuere, ullus dubitatio. (f) Quare & accipiens ad restitutionem obligatus erit ; licet rem mutuo datam

(f) SALMASIO. hæc de re lis fuit cum nonnullis JCTis. Vid. PUFEND. de J. N. ac G. L. V. C. VII. §. 5. ibique BARBEYRAC.

(g)

datam sine ulla sua culpa amiserit, nullumque ex ea fructum senserit; res enim tunc suo domino perit. Ad perfectionem autem hujus contractus ipsa *retraditio*, si solam sequimur legem naturalem, non est necessaria; quippe quæ potius ad consummationem est referenda. Simul ac igitur unus in hac conventionem valide promisit, alter acceptavit; illi obligatus est ad rem mutuo dandam; huic vero jus est cogendi. Re autem tradita, accipiens deinde obligatus est ad restituendum tantundem: quod ita temperandum, ne ullum mutuo dans damnum sentire cogatur.

(g)

§. IX.

Quamvis autem contractus mutui, in se spectatus, sit beneficus, non tamen in genere iniquum censi debet, ut mutuo dans, præter rei restitutionem id emolumenti sibi stipuletur, quod usurarum nomine venire solet. (b) Quemadmodum

*Quid si
usura
accesserint*

R

enim

(g) Dicendum hic, quomodo restitutio temperanda, quando numuni contigit mutatio.
Conf. PUFEND. *cit. cap. §. 6. 7.*

(b) Quo tamen casu mutuum redditur contractus onerosus.

(i)

enim legi naturali non est adversum, ut ex aliis rebus fructus percipiamus; ita nulla afferri ratio solida potest, quare idem in pecunia non liceat. Permissæ itaque sunt usuræ, sive *compensativæ*, sive *lucrativæ* vocentur; (i) modo ita ex regulis honesti & decori temperentur, ne insignis inde in alterum molestia redundet. (k)

§. X

(i) *Illæ* dicuntur, quibus damnum aut lucrum cessans, quod ex pecuniæ nostræ absentia sentimus, pensatur; *hæ* vero, quæ respondent lucro, quod alter ex pecuniâ nostrâ percipit.

(k) Vid. GROTI. *L. II. C. XII. §. 20. seq.* Qui tamen in eo erravit, quod usuras lege Mosaicâ ita prohibitas credidit, ut & Christianis, quippe ad majora virtutum specimina vocatis, illicitæ debeant censerî; refutatus ea propter commentatoribus. Notandi hic etiam Pontificiorum MORALISTÆ & CANONISTÆ, qui ita turpiter ludunt, ut usque ad notam hæreseos usuras illicitas pronuntient; interea tamen lepidissimis commentis indulgeant, ac novis nominibus negotiis usurariis impositis, vel iniquissimis usuris, (v. gr. in annuis redditibus,) locum concedant. Quorum itaque stultitiâ merito ridet LUDOVICUS MONTALTIUS in *epistolis provincialibus*, ep. VIII. Cens. SELDENUS de *J. N. ac G. juxta discipl. Ebræorum L. VI. C. IX.* SAL.

§. X.

*Commodatum est conventio benefica, De com-
 qua rei nostræ usum alicui gratis concedi. modato.
 mus; addita conditione, ut, finito usu, ea-
 dem in specie restituatur. (l) In execu-
 tione hujus contractus non transfertur
 dominium, sed possessio tantum cum facultate
 usus definiti. Quare rem commo-
 dato accipiens exacta diligentia eam de-
 bet custodire. Nec decet rem in alios u-
 sus convertere, quam qui concessi sunt à
 commodante. Denique commodatari-
 us obligatus est, ad rem finito usu, restitu-
 endam, prout acceperat; nisi quantum
 per ordinarium usum eidem decessit. Con-
 tra vero commodanti jus est, poscendi repa-*

R 2 ratio-

SALMASIVS *de usuris.* PUFEND. *de jure N. ac G. L. V. C. VII. §. 8. seqq.* ibique
 BARBEYRAC. HOCHSTETTERUS *in Colleg. Pufend. p. 364. seqq.* Dn. BUDD. *in Theol. morali P. II. C. III. S. V. §. 28. seqq.*
 GERARDVS NOODT *de usuris ac fauore.* ABICHT *diff. de usura licita.* Dicendum hic etiam *de montibus pietatis & Lombardis.* De quibus vide MARPERGERI *montes pietatis &c.*

(l) A precario, secundum jus naturæ solum, vix commodatum potest distingui. Conf. Dn. THOMASII *diff. de jure precum juridicarum.* (m)

rationem damni, quod ex commodato quacumque commodatariū culpa sentit. Quid? quod & fas ipsi est, rem antefinitum usum repetere, si interea ipse eadem valde indigere cœperit. Quodsi vero citra ullam commodatariū culpam res periiit, commodans nullo suo jure ejus æstimationem poterit postulare; cum res eo casu pereat suo domino, quippe qui casum fortuitum ferre utique debet; nisi forte commodatarius, regula honesti & decori ductus, sponte aliquam damni partem in se suscipere velit, aut singulari promisso ad id sese obligaverit. (m) Jus autem commodatariū, posteaquam rem com-

(m) PVFEND. de Off. H. ac C. L. I. C. XV. §. 6. minus accurate distinguit, *utrum res penes ipsum dominum quoque peritura fuisset, an minus*: notatus ea propter TITIO in observat. Nec illum juvant, quæ BARBEYRACIVS de pacto tacito adducit not. (2) ad cit. §. it. ad opus de J. N. ac G. L. V. C. IV. §. 6. not. 9. 10. 11. Frustra enim vir celeberrimus existimat, commodatarium pacto tacito obligari ad restituendam vel rem ipsam, vel saltem ejus æstimationem; cum tacitum, quod allegat, pactum hoc casu non possit demonstrari.

(n)

commodatam accepit, in eo consistit, ut si forte culpa domini res usum promissum præstare nequeat, damni inde orti reparationem possit postulare; itemque ut impensas necessarias atque utiles, ultra eum modum, quem usus rei ordinariè postulat, in rem commodatam factas, repetere a domino queat.

§. XI.

Mandatum est conventio, qua quis alteri De man-
rius negotia, ipso requirente & committen- dato,
te, (n) gratis gerenda suscipit. Distingui-
 tur in *liberum*, quando quis liberam agen-
 di potestatem accepit, & *restrictum*, ubi
 certus agendi modus certique fines sunt
 præscripti. Utroque casu mandatarius
 ad *exactam diligentiam* ac fidem est obli-

R 3

ga-

(n) Quod & fieri censetur facto claro, quo dominus sciens negotium suum geri ab altero permittit. Unde *mandatum tacitum*. Quando vero quis alterius absentis atque ignorantis negotia gerit, speciatim dicitur *negotiarum gestio*. Ex qua dominus nihilominus gerentem, qui ipsius commoda, quantum in se fuit, præstavit, indemnem servare tenetur; quamvis negotium ipsi non commiserit; cum nemo debeat locupletior reddi cum damno alterius.

(o)

gatus, cum mandatum non solum amicitiam & fiduciam peculiarem; verum etiam specialis operæ petitionem & promissionem includat. Hinc & *morte mandantis* mandatum creditur *expirare*. Quod si vero mandatum fuerit restrictum, cavere debet mandatarius omni modo, *ne fines mandati transgrediatur*: hoc enim ubi factum est, mandantem non habet obligatum, sed ipsi potius ad præstandum id, quod interest, erit obstrictus. Qui tamen per *æquipollens* implevit mandatum, aut addidit *modia ad finem necessaria*, terminos mandati migrasse non videtur. *Mandans contra*, quicquid ex ipsius mandato gestum est, ratihabere, ac mandatarium a sumptibus atque omni damno, quod ex causa mandati proprie profluxit, immunem debet præstare. Quibus ita expositis, facillimum de utriusque jure erit judicium.

§. XII.

De deposito.

Depositum est conventio, qua rei, sive mobilis sive immobilis, custodia alterius fidei committitur, atque ab hoc gratis suscipitur. (o) Si res custodienda sit litigiosa, spe-

(o) Inquirendum hic, utrum depositum possit dici

speciatim dicitur *sequestrum*. Quando singulari quadam calamitate quis ad deponendum fuit incitatus, *depositum* vocatur *miserabile*. Quod si vero rei custodiendæ usus fuerit concessus, *irregulare* audit. *Depositarium oportet* rem alterius æque diligenter ac suam custodire, nec eandem sine consensu deponentis in usus suos convertere; domino vero, quocumque tempore repetenti, sine mora restituere, ac si forte sua culpa corrupta est, aut omnino periit, æstimationem præstare. *Deponens contra* obligatus ad illum indemnem servandum. De utriusque jure iterum ex dictis potest constare.

§. XIII.

Contractus onerosi sunt, quibus neuter alteri bene vult facere, sed sua potius quisque utilitati studet, atque adeo uterque æqualitatem intendit. (p) Hinc pro certa

De contractibus onerosis.

R 4

spe-

dici species mandati. vid. GROTIUS. L. II. C. XII. §. 2. TREVER. ad Pufend. de O. H. ac C. L. I. C. XV. §. 7. not. (i)

(p) Conf. GROTIUS. L. II. C. XII. §. 11. 12. PUFENDORF. de J. N. ac G. L. V. C. III. ibique BARBEYRAC. Dn. JÆGERUS. Observ. in Grot. p. 341. seq.

(9)

specie interdum species alia, interdum pro hac pretium, nonnumquam merces, pensio, salarium & similia præstantur. Inter ea tamen *æqualitas illa non nimis scrupulose æstimanda*, aut ad punctum Mathematicum redigenda. Hoc enim quo minus fieri possit, partim absconditæ sapius rerum æstimabilium qualitates, partim varietatis pretii vicissitudines impediunt. In genere autem nihilominus utriusque contractuum *ex regula justitiae* servanda est in his contractibus æqualitas, ne alterum lædat; atque ex opposito unicuique etiam jus ad istam æqualitatem servandam est tribuendum. Quare & quævis læsio, quæ alicujus est momenti, quamque ex inæqualitate unus, sine sua ipsius culpa, sentit, ab altero est corrigenda, neque hic ad læsionem ultra dimidium respiciendum. (q) Quamvis forte casus vix contingere possit, ut nulla hic sit læsi culpa. (r)

§. XIV.

De per-
mutatio-
ne

Inter contractus onerosos permutatio-
nem,

(q) Vid. *diff.* Dn. THOMASII *de æquitate cerebrina l. 2. C. de rescind. venditione.*

(r) Conf. GRIBNERI *Jurispr. nat. l. 1. C. VII. §. 6.*

(r)

nem, velut antiquissimum, (§) primo loco collocamus. Est autem permutatio *contractus operosus, quo agitur de re nostra vulgari in alterum pro alia equalis pretii commutanda. Æqualitas ex opinione pauciscentium æstimatur. Qui prior suam transtulit, sub conditione dedisse censendus est, ut alter suum quoque præstet. Quod ni fiat, jus habet, alterum cogendi, ut sibi satisfiat. Periculum casuale rerum nondum præstitarum est utriusque contrahentis, ita, ut rem sibi promissam quis petere omnino possit; licet suam casu amiserit. Species enim alteri debita creditori perit, si nulla debitoris culpa intercesserit. Post introductum nummum, hodie rariores sunt permutationes. Quæ autem hodie tales consentur, plerumque vel *reciproce sunt donationes, vel mutue emtionem venditiones.**

R 5

§. XV.

(§) Negavit quidem OSIANDER *ad Grot. L. II. C. XII. §. 3.* permutationem esse contractum antiquissimum; verum ipsi respondit JÆGERUS *in obs. in Grot. p. 336. seq.* Conf. TREUERUS *ad Pufend. de O. H. ac C. L. I. C. XV. §. 8. not. 1. it.* PUFEND. *de J. N. ac G. L. V. C. V. §. 1. ibiq.* BARBEYRAC,

(t)

§. XV.

De em-
tione
venditi-
one.

Permutationi jungimus emtionem venditionem, quippe quæ, introducto nummo, permutationem exceptit. *Hæc est contractus onerosus, quo res pro certo pretio emtori relinquitur a venditore.* Qui quidem contractus perfectus est, simulac contrahentes de re ac pretio valide consenserunt, tractatusque ad finem perduxerunt. Quo facto, *uterque est obligatus, uterque etiam jus mutuum acquisivit ad ea, quæ utrimque fuere promissa.* Quare alter alterum potest cogere ad promissum implendum. Neuter hic, invito altero, se potest liberare præstando id, quod interest, prout in genere fert natura pactorum. Simplicissima emtionis venditionis species est, quando emtor statim pretium solvit, venditor sine mora mercem tradit. Sæpe vero etiam contingit, ut unum, aut alterum, immo & utrumque differatur. Quod si unus citra alterius consensum in mora fuerit, damnum, quod alter inde sentit, esse reparandum, ex supra dictis est manifestum. Interea vero contingere potest, ut *res emta ante traditionem pereat:* quo casu controversia admodum est quaestio,

stio, quis ferre periculum teneatur? Si uni culpa, vel mora potest imputari, hujus quoque sine dubio damnum esse debet. Sin casu mere fortuito periit, damnum ferre debet dominus. Dominus autem post contractum emtionis perfectum, (modo venditor transferre voluerit ac potuerit dominium,) evasit emtor, si solius rationis principia sequimur; quippe quæ traditionem ad transferendum dominium non requirant; sed in sufficiente voluntatis declaratione acquiescunt. (t) Quid? quod & casualis speciei debita intentus debitorem liberat ab obligatione.

§. XVI.

Emtioni venditioni sæpe arrhæ accedunt: quæ ex intentione contrahentium *De arrhæ emtion.* dijudicandæ. Interdum enim melioris probationis gratia arrhæ dantur, si forte metus adest, ne alter perfectionem contractus aliquando negare vellet: nonnumquam

(t) Quod si itaque appareat, venditorem sibi interea dominium servasse; res ipsi perit casu fortuito. Conf. GROTIUS, cit. cap. XII. L. II. §. 15. PUFENDORF, de J. N. ac G. L. V. C. V. §. 3. ibique BARBEYRAC, Frustra dissentit KULPISIUS in colleg. Grot. cit. cap. thes. 4. (u)

quam finem habent *majorem securitatem alterius*, & velut in locum ejus, quod interesse posset, succedunt, si forte arrham dans fidem fefellerit: Contingere etiam solet, ut *facultas poenitendi arrhis redimatur*. Videndum itaque in primis, quid egerint partes. Quod si obscurum sit, æquissimum *in dubio* videtur, ut in casu moræ aut poenitentia, qui dedit arrhas, easdem amittat; accipiens vero duplicatas restituere cogatur. (u)

§. XVII.

De loca-
tione
condu-
ctione.

His de emtione expositis, (x) ad locationem nos convertimus: *qua agitur de rerum usu aut operis pro certa mercede alteri concedendis*. Simulac partes de his rite consenserunt, contractus est perfectus, atque unicuique jus enatum, cui respondet alterius obligatio. Quod si *merces non sit specialius definita*, id quod in locatione operarum saepe contingit, ex usu

(u) Conf. Dn. THOMAS. *dissert. de arrhis emtionum*. Idem in locatione conductio-
ne statuendum.

(x) Dicendum tamen velut in transcurso de
emtione per aversionem, de sectionibus publi-
cis, itemque de emtione spei.

(y)

usu communi res deinde est decidenda, ita tamen; ut & operarum habeatur ratio. Queinadmodum autem *locator rerum* eas ad usum promissum aptas sistere, atque conductori per integrum, quod definitum est, temporis intervallum ordinarie relinquere; (y) nec non impensas in rem necessario factas eidem restituere tenetur: pari contra modo conductor obligatus est, ut re, boni instar patris familias, utatur; mercedem tempestive solvat; damnumque, rei locatæ a se, aut familia sua, illatum, reparet, nec ante dictam diem contractum deferat. *Quod si forte res locata casu perierit*, locator damnum omne solus sentit, nec mercedem conductor solvere tenetur, cum hæc usui respondeat; quo deficiente, & merces exspirat. *In rebus, quarum fructus sunt incerti*, abundantia conductori lucro est, sterilitas detrimento, nisi immodica fuerit. Optimum tamen est consilium, ut ea de re diserte partes pacificentur. *Operarum locator* fideliter conductori operas exhibere debet;

(y) Conf. BARBEYR. *ad Pusend. de Off. H. ac C. L. L. C. XV. §. 10. not. (i)* Ubi casus exceptos recenset, (z)

debet; alias enim ad id, quod interest, persolvendum tenebitur. Contingere vero etiam potest, ut casu fortuito impediatur, quo minus operas prestare queat; tunc nec mercedem jure suo postulare potest. Inhumanum tamen foret, si servis atque ancillis mercenariis, morbo vel alio casu impeditis, mercedem diminuere, atque alimenta interea temporis denegare vellemus. (z)

§. XVIII.

De societate.

Sequitur societatis negotiatoriz contractus: *quo agitur de rebus, vel operis ita communicandis, ut lucrum damnique fortuitum inter conferentes dividatur.*

Quoniam enim societatem animo donandi non inimus; repugnaret indoli hujus contractus, ut, unus solus damnum ferret, alter solus lucro gauderet. Interea *modus, in partitione damni & lucri servandus, a conventionione sociorum potissimum pendet.* Quæ si defecerit, tum vero *pro rata*, tam ratione rerum, quam ratione operarum, distributio erit instituenda. Ceterum

(z) Conf. ad integrum §. GROTIJ. *lib. 1. cap. XII. §. 18. 19.* PUFEND. *de J. N. ac G. L. V. C. VI.* (aa)

ti officii ratio a sociis, secundum regulam
 iusti, poscit, ut æqualem pro virili industriam
 quisque adhibeat, damnumque culpa
 sua datum resarciat, neque intempestive
 atque in fraudem socii e societate disce-
 dat: ita, *societate legitime soluta*, quilibet
 post distributum lucrum ac damnum,
 quantum intulit, recipit, nisi aliæ adsint
 singularis conventionis leges. (aa)

§. XIX.

Inter contractus onerosos principales De con-
 nonnulli recensentur, aleam continentes. *tracti-*
 Qui uti *conditionem* vel disertam, vel ta- *bus aleæ*
 citam complectuntur, a *casu fortuito pen-*
 dentem: ita, eadem impleta, jus oritur ab *obnoxiiis*
 una, obligatio ab altera parte; modo bo-
 na fide actum fuerit, ceteraque pacti re-
 quisita sint observata. Quorsum referunt
 sponfiones, varia ludorum genera, Lo-
 tari-

(aa) Conf GROT. *cit. cap. §. 24.* PUFEND.
 L. V. C. VIII. Interdum *communio* sine spe-
 ciali societatis contractu oritur, quæ *inci-*
 dens dicitur. In ea regula iusti naturalis
 requirit, ut, quod nobis donatum non est,
 communicetur ac dividatur, sive rem prin-
 cipalem consideres, sive fructus atque alia
 accessoria.

(bb)

tariam, ollam fortunæ, affecuraciones
(bb)

§. XX.

*De spon-
sione.*

Sponsio est conventio, qua eventus alicujus, nondum utrinque cogniti, existentiam alter negat, alter affirmat, certo utrinque præmio definito, quod ei cedere debeat, cujus assertioni eventus sit responsurus. Nec injusta est sponsio, licet alter rei eventum certo jam sciverit; modo certæ suæ scientiæ clara in sponsione indicia panderit. Tunc enim alter sibi imputet, quod sponsione nihilominus contenderit, atque adeo temeritatis suæ pœnas dederit. Quamvis certum etiam sit, regulas honesti & decori alteri suadere, ne facile temeritate alterius, velut lucri occasione, utatur; sed ut potius eandem alia ratione corrigere studeat. Præterea & vanâ ostentatio omnisq; affectuum impetus, qui in sponsionibus sæpissime cernitur, iisdem regulis repugnat, sponsionesque reddit vitiosos. (cc)

§. XXI.

(bb) Conf. PUFEND. de J. N. ac G. L. V. C. IX.

(cc) Conf. Dn. LUDOVICI diss. de sponsionibus. (dd)

§. XXI.

Ludorum varia sunt genera: in non-^{De ludis} nullis *alea sola* cernitur, in aliis *mox ingeni acumen*, *mox alea prævalet*. Adest autem in omnibus *conventio*, qua de certo pretio ludentes *paciscuntur*, quod *victore cedere* debeat. Qualis quidem conventio in se nihil habet vitii. Quod si tamen animo *perpendimus fraudes*, *ambitionem*, *lucris cupidinem*, *surpe otium*, *scelerabilem dicacitatem*, *execrationes*, *rixas*, atque alia generis ejusdem vitia, regulis partim *justi*, partim *honesti*, *decori ac prudentiæ* admodum *adversa*, quæ ludos plerumque *comitantur*; non male, meo quidem *judicio*, *rationantur*, qui ludos, ob *abusum* fere *inseparabilem*, ab *illicitis* probe *abesse arbitrantur*. (dd)

§. XXII.

Lottaria est *conventio*, qua *plures de* De Lot-
rebus, *collatis* pecunia *redemptis*, *sorte de-* taria.

S

inde

(dd) Vid. PLACÆI (Placette *Tract. de ludis fortuna* (des jeux de hazard) BARBEY-
RACII *Tract. ejusdem Them.* BEYERI *de-*
lineatio J. N. C. XXII. §. 36.

(cc)

inde decernunt, cui, vel quibus ille cedere debeant. (ee)

§. XXIII.

De olla fortuna. Olla fortunæ dicitur, quando dejecto in urnam certo tesserarum seu schedularum, partim inscriptarum, partim inanum numero, certo pretio facultas redimitur, easdem extrahendi, ita, ut extrahens accipiat, quod earum inscriptio præ se fert. Qualis iidem conventio in se non minus, quam præcedens, vitiosa est; quamvis ex circumstantiis vitium facile contrahere queat.

§. XXIV.

*De affe-
curatio-
ne.* Affe-curatio, seu contractus avertendi & præstandi periculi, est conventio, qua pro certa pecuniæ summa quis pericula in se suscipit ac præstat, quibus mercès alio transportande sunt obnoxia; ita, ut, si has perire contigerit, affe-curator earumdem pretium domino restituere teneatur. (ff)

§. XXV.

(ee) LETI discours sur les Lotteries. Reflexions sur les Lotteries par Msr. de CLERC. Confer. PLACEUM ad BARBEYRACIUM cit. tractat.

(ff) Conf. GROTI. cit. cap. XII, §. 3. n. 5. ubi hanc conventionem Romanis cognitam haud fuisse

§. XXV.

Contractus accessorii dicuntur, qui in De con-
 singulare unius emolumentum, altero tracti-
 consentiente, contractibus principalibus bus ac-
 adjiciuntur. (gg) Inter quos potissimum cessorior.
 eminent: pactum commissorium; addi-
 ctio in diem; pactum de retrovendendo;
 pactum protimiseos; fidejussio; ac deni-
 que contractus pignoratitius.

§. XXVI.

Pactum commissorium est conventio, De pacto
 vi cuius, si alter v. gr. pretium, vel merce- commiss-
 dem statuto tempore non solverit, contra- torio.
 ctus principalis rescinditur.

§. XXVII.

Addictio in diem est conventio, qua De ad-
 partes decernunt, ut meliorem conditio- dictione
 nem intra definitum temporis spatium in diem.
 oblatam liceat acceptare.

§. XXVIII.

Pactum de retrovendendo est conven- Pactum
 tio, qua ordinarie venditor sibi faculta- de retro
 tem stipulatur rem venditam, restituito venden-
 pretio, do.

§ 2

fuisse putat, resutatus eapropter KULPI-
 SIO cit. cap. thes. 6. not. (y) Conf. GRO-
 NOV. & TESMAR. ad cit. loc.

(gg) Conf. PUFEND. de j. N. ac G. L. V. CX.
 (hb)

pretio, redimendi. *Quamvis & emtor*
 pactum de retrovendendo ita adjicere
 queat, ut sibi liceat, rem emtam, si ita vi-
 sum fuerit, post aliquod temporis spatium
 reddere, pretiumque recipere. Ceterum
 & priori casu hzc conventio certo tempo-
 re solet circumscribi.

§. XXIX.

*De pacto
 protimi-
 seos.*

Pactum protimiseos est conventio, qua
 decernitur, ut si forte emtori rem emtam
 rursus alienare placuerit, venditor jure
 p̄cipuo gaudere debeat; si easdem,
 quas alius offert, condiciones amplecti ve-
 lit.

§. XXX.

*De fide-
 jussione.*

Fidejussio est conventio, qua quis in
 majorem securitatem creditoris alienam
 obligationem in subsidium in se suscipit.
 (hb) Uti igitur se habet obligatio prin-
 cipalis; ita & accessoria. Quare & fide-
 jussor *in majorem summam* non potest di-
 ci obligatus; quamvis in majorem cre-
 ditoris securitatem *arctius* possit adstringi.
 Porro quia in subsidium duntaxat obli-
 gationi alienæ accessit; consequitur, de-
 bito-

(hb) Differt ab expromissione, de qua dixi su-
 pra C. V. §. 36. (ii)

bitorem principalem ante fidejussorem esse
 conveniendum, tentandumque prius, utrum
 hic satis creditori facere queat; nisi fi-
 dejussor huic ordini renuntiaverit. Quod
si plures sint fidejussores, quorum singuli
 se in solidum non obligaverunt; unus-
 quisque ratam tantum portionem solvit.
 Præterea fidejussori, qui pro debitore prin-
 cipali solvit, *jus omnino est, solutum ab*
hoc repetendi; cum animûm donandi
 non declaraverit. Ceterum quamvis fi-
 dejubendo quis regulam honesti & decô-
 ri impleat; caute tamen ex regulis prû-
 dentiz ea in re cuique est versandum. Ve-
 rissima enim est, quæ vulgo circumfertur,
 sententia: *sponde, noxa est præsto tibi.* (ii)

§. XXXI.

Contractus pignoratitius est conven- *De con-*
 tio, qua, in majorem securitatem credito- *tractu*
 ris, res æstimabiles ita obligantur, ut in *pigna-*
 subsidium inde eidem satisfiat. Quando *ratitio.*
 in solis conventionum terminis negoti-
 um subsistit, *hypotheca* speciatim dicitur
 constituta; *sin res* obligata creditori

§ 3

tra-

(ii) THALETIS MILESHII hoc fuit prover-
 bium. Vid. Dn. BUDEI *ethicam septem*
sapientum §. 21. (kk)

tradita, *pignus* proprie dictum inde oritur. In rebus immobilibus quidem hypotheca plerumque sufficere potest; in mobilibus autem pignus majoris est securitatis; quod & nonnumquam in immobilibus e re videtur; quemadmodum & hypothecæ nomine res mobiles possunt ac nonnumquam solent obligari. Ceterum ut securitati suæ satis consulat *creditor*, ex regulis prudentiæ caveat, ne rem minoris, aut labilis admodum pretii sibi oppignorandam curet; neve ad pretium præteritum aut futurum incertum respiciat; aut pretio affectionis, cui alter indulget, locum incautus concedat.

§. XXXII.

*De jure
creditoris in
pignore.*

Pignore proprie dicto constituto creditori non solum *jus possidendi* in majorem securitatem competit; sed & contingere potest, ut *jure antichretico* ob singularem conventionem gaudeat, seu ut loco usurarum fructus rei oppignorata percipiat. Denique si debitor in mora solvendi fuerit, *jus* quoque creditori esse debet, *ex pignore sibi satisfaciendi*; cum alias ipsi securo esse non liceat. Quod si itaque certa solutioni dies dicta, ac simul con-

conventum fuerit, ut, solutione non sequuta, pignus cedat creditor; vi hujus *pacti commissoris* creditor rem oppignoratam jure domini possidere incipit. Hoc enim pactum si ad solam legis naturalis normam exigitur, in se iniquum non est; modo ne fraudibus fuerit elicitum, aut in oppressionem debitoris miserabilis a creditore usurpetur. Illud enim regulae justae; hoc regulis honesti & decori repugnaret. *Quod si autem lex commissoria discrete non fuerit addita*, in regulas justae naturalis non peccat creditor, nec debitori moroso injuriam facit, si pignus etiam pretiosius sibi vindicet: secundum regulas tamen honesti & decori melius agit, si pignus vendat, aut saltem aliorum, qui neutrarum sunt partium, aetimationi subjiciat, & lucrum abundans debitori restituat. Denique etiam creditori fas est *jus pignoris*, quo gaudet, alii vendere, sicubi forte pecunia indigeat. Retinet enim hoc casu debitor facultatem, pignus ab hoc aequè redimendi, ac ab ipso creditore. *Juri creditoris respondet obligatio debitoris.*

§. XXXIII.

De jure
debito-
ris.

Debitori contra *jus* quoque esse debet, rem oppignoratam, soluto debito, definito tempore *reluendi*. Quod si vero nulla dicta sit dies, facultate hac pro lubitu uti potest, nisi creditor ipsum compellat. Ceterum & debitor *jus* *reluendi* alteri cedere jure suo potest. Juri debitoris rursus respondet *obligatio* *creditoris*.

§. XXXIV.

De pe-
ricula
rei oppi-
gnorata.

Contingere vero potest, ut res oppignorata apud creditorem casu fortuito interierit: quo casu anceps est quaestio, quis jure naturali solo ferre periculum debeat? Mihi interea ita videtur quaestio definienda. Cum securitatem in pignore ita quaerit *creditor*, ut eam, deficiente *restitutione*, suae potestatis faciat; ex solis rectae rationis principiis *instar domini* est, adeoque & *periculum* *ferre* tenetur. Quare regulae justae non videtur adversum, si debitor, ubi pignus restitui nequit, nec ad solutionem se credat obligatum. Regula tamen honesti & decori magis erit conforme, ut *uterque* *equis* *partibus* *damnum* hoc ferat.

§. XXXV.

§. XXXV.

§. XXXV.

Quantum ad personas liberas, in statu naturali constitutas, resque publicas attinet, & his in contractibus ea *observanda* esse, manifestum est, *que indoles contractuum requirit.* Quare rationi repugnat, emtionem venditionem sine certo pretio, locationem conductionem sine mercede subsistere, si regibus ejusmodi contractus sint celebrati. (kk) Neque enim ita absurdi esse debemus, ut opinemur, principem posse efficere, ut contradictoria simul sint vera, atque ut emtio sit, quod non est emtio. Quibus ita in genere premissis, quaedam specialia notatu digna nunc sunt ponderanda. (ll)

Applicatio ad St. N.

§. XXXVI.

Inter quæ prima est quaestio de Principum donationibus. Quando donant *de rebus plene suis*, nullum est dubium, quin eorum donationes firmæ sint ac stabiles. Sin *de rebus regno propriis* donaverint,

De donationibus Principum.

S 5

vi-

(kk) Qualiæ docuit VASQUIUS *libr. II. controvers. illust. G. Li. n. 34. refutatus GRO-TIO de J. Bæo P. L. II. C. XIV. §. 15.*

(ll) Conf. Dn. GUNDL. *J. N. C. XXIII. §. 8. seqq.*

(mm)

videndum, quam libertatem populus concesserit. In dubio Regi libertatem donandi relictam censerem, si *probabiliratione* fuerit *permotus*; quod multo magis obtinebit, si manifesto appareat, donationem *in regni emolumentum* cecisse. Quæ vero legitime perfectæ fuerint imperantium donationes, jus alteri parti ita tribuunt, ut sine alterius injuria non possint pro lubitu revocari. (mm)

§. XXXVII.

De mutuo atque usuris non est, quod *De com-*speciatim hic moncamus. De *modato.* dato autem observandum, si forte principes, ac Respublicæ liberæ *naves, tormenta similiaque* ad belli usum sibi invicem commodaverint, non posse eo casu commodantes postulare, ut res omnino illæ restituantur; cum ad usum periculi ac læsionis plenum eas concesserint; nisi forte culpa commodatario possit imputari, aut hic omne periculum in se susceperit.

§. XXXVIII.

(mm) CONF. GROTIJ. L. II. C. XIV. §. 12. 13.
PUFENDORFII. de J. N. ac G. L. VIII. C. X. §. 9.
ibique HERTIIUS.

(nn)

§. XXXVIII.

Mandati contractus inter Principes, li- *Deman-*
berasque gentes est frequentissimus. A- *dato.*

gunt enim plerumque aliorum ministe-
rio. Horum itaque mandatum si *liberum*
fuerit, quacumque utili ratione eidem pos-
sunt satis facere, idemque adeo citam per
æquipollens implere: Sin *restrictum* fue-
rit, fines mandati accurate servandi. Ce-
terum evidentissimum est, *Principes obli-*
gari aliis ex ministrorum factis, qui man-
dato ipsorum instructi egerunt; *si vel ma-*
xime detrimento ipsis sit negotium, male
a ministro gestum; aut *licet hic fines se-*
cretioris mandati fuerit transgressus. Tunc
enim ejusmodi minister neglecti quidem
mandati juste poenas dat, atque ad præstan-
dum id, quod interest, adstringitur; aliis
tamen, qui cum ipso ad mandati publici
formulam bona fide egerunt, jus ex con-
ventionione quæsitum sine injuria non po-
test auferri. Quid? quod omnes omni-
no conventiones, inter liberas gentes ea-
rumque capita possent revocari; si viola-
ti secretioris mandati obtentus sufficeret.
(*nn*) §. XXXIX.

(*nn*) Conf. GROTI. E. II. C. XI. §. 12. L. III. C.
XXII. §. 4. et PUFEND. de J. Nat. G.

(00)

§. XXXIX.

De deposito.

De deposito inter liberas gentes observandum, idem *indistincte reddendum esse deponenti*; cum in statu libertatis vix possit decidi, quis justiore habeat petitionem. Quando autem ejusmodi *res* deponens repetit, *quibus hostibus magnopere potest nocere*, tunc hi omnino audiendi, & quissimumque eo casu erit, ne ejusmodi *res* bello medius restituat, donec bellum fuerit finitum.

§. XL.

De monopolis.

Occasione emtionis venditionis quaestio de monopolis incidit. Quae uti in *se legi naturali non repugnant*: ita nullum est dubium, quin inter liberas gentes usum habeant. Jure enim suo hae sibi invicem mercium certarum monopolium concedunt: nec in promittentium arbitrio deinde positum est, parte altera invita, ejusmodi *monopalia revocare*; nisi precarii clausula fuerit adjecta. (oo)

§. XLI.

De locatione.

Inter liberas gentes locatio *rerum rari-*

OR

(oo) GROTIUS L. II. C. II. §. 24. it. C. XII. §. 16. ibique BOECLERUS, HENNIGES, TESMARUS. Conf. PUFEND. *de J. N. ac G. L. V. C. V. §. 7.* (pp)

or quidem est: interea tamen paucis ab-
hinc annis naves ad expeditionem belli-
cam a Regibus palam fuisse conductas
constat. Id autem moris est frequentissi-
mi, ut *militum operæ* locentur.

§. XLII.

Præter societatem *mercatoriam* inter *De soci-*
gentes quoque recepta est societas *nava-*
lis, quam Admiralitatem vulgo appellant.
Solent Principes resq; publicæ liberæ ejus-
modi societatem navalem adversus piratas
aliosque hostes communes inire, ita, ut
defensio ac plerumque etiam *præda* sit *com-*
munis. Quare naves æstimantur cum o-
mni suo apparatu, summaque deinde con-
ficitur, ut *damna*, quæ contingunt, (in qui-
bus etiam sunt vulneratorum impendia,) a
dominis navium merciumque, *pro rata*,
quam quisque in ea summa habet, parte,
ferantur, nisi alia sint singularis cautionis
momenta. (pp)

§. XLIII.

Contractus aleam continentes quin & *De con-*
inter liberas gentes, earumque capita u-
traque *tracti-*
bus *alea*
sur- *obnoxii-*

(pp) GROTIUS L. II. C. XII. §. 25. ibiq. TES-
MARUS in not. LETI in vita Philippi II.
P. II. L. XVIII. CAMDENUS *hist. Elisa-*
beth. LOCCENIUS *de jure maritimo* L. II
C. II. §. 7. (qq)

surpentur, nullum cuiquam dubium esse jure potest. In *divisione* enim *principatum* ac provinciarum interdum *sorti locus* est. Quid? quod *bella & pugnae singulares* huc quoque certo modo referri possint. *Ludorum* ac *sponsionum* usus inter summos Imperantes frequentissimus. Porro observandum, & integram civitatem *de avertendo periculo* posse cavere, atque adeo *asssecurationis contractum* celebrare. (gg)

§. XLIV.

De fidejussione.

Inter contractus accessorios peculiariter hic meditationem merentur *fidejussio* ac *pignus*. *Fidejussores* autem qui civitatum ac Principum promissionibus majorem fidem ac securitatem conciliant, *varii sunt generis*. Principes enim liberique populi, qui inter alios paciscentes fidem suam interponunt, seque effecturos promittunt, ut pacificationes serventur, lationesque reparentur, *Guarandi* vulgo dicuntur. Quasi *fidejussio*, si vel maxime id diserte factum non fuerit, tacitum tamen continet *sedes*, de auxilio adversus publicos

CON-

(gg) LIVIUS. L. XXIII. C. 49. L. XXV. C. 3.
BARBEYRAC. ad Pufend. de J. N. ac G. L.
V. C. IX. §. 8.

(rr)

conventionis violatores ferendo. (rr)
 Nonnumquam *ipfi paciscentes* aliorum ta-
 men compaciscentium ratione habita,
mutua fidejussione pacem firmant. (ss) De-
 nique interdum seliguntur ejusmodi fide-
 jussores, qui *ad certam pecunie summam*
in eum eventum solvendam se obligant, si
 pacis condiciones quisquam violaverit.
 (rr)

§. XLV.

Sæpissime quoque inter liberas gentes *De pi-*
 ad firmandas promissiones pignora locum ^{gnore.}
 habent, in quibus & jura supra inculcata
 observanda. Ea autem sigillatim hic ex-
 plicanda est quæstio, *utrum luitioni pi-*
gnoris in statu naturali possit præscribi?
 Quam quidem plerique negant, ea ratio-
 ne, quod luitio pignoris sit res meræ fa-
 cultatis. Verum cum hoc fundamentum
 mi-

(rr) PUFEND. *de J. N. ac G. L. VIII. C. VIII.*

§. 7. ibique HERTIUS *nos. (a) Conf.*
 OBRECHTI *dissert. de sponsore pacis.*

(ss) Vid. INSTR. PACIS WESTPH. *Cæsareo-*
Suevicum art. 17. it. Cæsareo-Gallicum
art. 14. 15. 16.

(tt) Exemplum occurrit in *pacte Cameracens-*
is, quæ inter Elisabetham Angliæ Regi-
 nam & Regem Galliz ita fuit conventum.
 (uu)

minus sit solidum; alia via hic est incedendum. Nempe *quandiu res oppignorata ut aliena possidetur*, atque vetus illa, qua debitum ac creditum fuit contractum, conventio subsistit, luitioni semper locus erit, si id præstetur, pro quo pignus fuit suppositum; cum diuturnum debitoris silentium causam possidendi in creditore non possit mutare. Quod *si vero debitori, cum læere vellet pignus, a creditore sit contradictum*; atque ille tum acquieverit longissimo temporis intervallo; nullum est dubium, quin jus relucendi pignus per tacitam derelictionem sit abdicatum. Pari modo seres habet, *si debitum fuerit extinctum, pignusque nihilominus in manibus creditoris relictum*, atque ab hoc ejusque heredibus, postea per longissima temporis spatia animo sibi habendi possessum. (un) De eo quoque disceptatur, *utrum Imperanti licent, imperii partem pignori dare?* Mihi quidem certum est atque evictum, id non licere Imperanti, nisi ex consensu populi.

Non

(un) GROTIUS, L. III. C. XX. §. 60. ibique ZIEGLERUS, GRONOVIVS, TESMARUS.

(xx)

Non solum enim ex pignoris datione sequi alienatio potest; sed & populus, Imperantem sibi constituens, ab ipso voluit gubernari, non a quovis alio. Pari modo & illicita ordinarie censeri debet *partium regni aut Principatus oppignoratio.*

(xx)

§. XLVI.

Quod ad statum civilem attinet, specialis applicatio hic non videtur necessaria; cum ea, quæ supra ad calcem capitis de officio ac jure paciscentium adjeci, hic quoque sufficiant; specialiaque momenta ad jurisprudentiam civilem sunt rejicienda.

Applicatio ad St. Civ.

CAP. XI.

DE OFFICIO AC JURE CONJUGUM.

§. I.

SEquitur tertium insigne institutum, quod peculiare in disciplina nostra est *Conjugia descriptio*

(xx) GROTIUS L. II. C. VI. §. 7. GRONOVIVS ac TESMARUS. Conf. PUFEND. de J. N. ac G. L. VIII. C. V. §. 10. (a)

meditationes sibi vindicat. Est autem conjugium *arctissima maris & femina confociatio, cum in finem potissimum contrahatur, ut honeste ac decore soboles procreentur atque educetur.*

De obligatione ad contrahendum matrimonium remotive.

Maximopere inter se contendere solent eruditi, si tunc homines obligati ad contrahendum matrimonium, an minus? Qui ad *instinctum naturalem* hic provocant, seu mutuam sexus proclivitatem, rem acu profecto non tangunt. Naturalis enim instinctus tantum abest, ut obligationem mox producat, ut potius maximopere idem ad normam sit exigendus, atque regulis justis, honestis, decori ac prudentiæ temperandus, cum alias ad actiones non solum turpes atque imprudentes, sed & maxime injustas possit conducere.

§. III.

Positive. 1) intuitu universi generis humani.

Quare alia, hic fundamenta collocanda. Nempe obligatio ad contrahendum matrimonium, de qua quæritur, aut intuitu universi generis humani, aut intuitu singulorum hominum potest considerari. Intuitu generis humani in universum præceptum divinum, & quæ inde ori-
tur

tur obligatio, sic potest commode ostendi. Deus, qui gentis humanum condidit, nec potest non honestam ac decoram ejus conservationem intendere, atque adeo etiam velle, ut medium ad hunc finem necessarium mortalium genus sibi habeat commendatissimum. Quod medium cum sit matrimonium, honestam ac decoram sobolis procreationem atque educationem complectens; consequitur profecto, *regula honesti ac decori humanum genus obligari, ut in rem uxoriæ se applicent.*

§. IV.

Quod vero ad singulos mortalium atque ^{2) intuitu} *comparativa tantum adest obligatio. tu singulorum hominum.* Melius enim est, uxorem ducere, aut nubere, quam uri ac vagæ libidini indulgere. Hujus enim stimuli cum ita sint comparati, ut hominem ad actiones non solum inhonestas, indecoras atque imprudentes, sed & sæpe ad injustas, e. gr. thori alieni violationes, perducant; nemo sanus profecto sibi atque aliis persuadere poterit, talia felicitati humanæ ac voluntati divinæ convenire; cum potius utrique sint adversissima. Quare evidens est, & singulos hujus conditionis homines, vitan-

de (a) Incontinentiæ gratia, regulis honesti ac decori obligari, ad occasionem conjugii amplectendam.

§. V.

Limitatio.

Interea tamen ista regula exceptionem patitur in iis, qui libidinis periculo non laborant, aut commoda conjugii contrahendæ occasione destituuntur. Illi enim, cum dono continentia gaudeant, vitam extra hanc societatem, juste, honeste, decore ac prudenter transigere, communique salutis cælibes melius studere possunt, quam uxorati; atque adeo sine violatione legis divina a conjugio sibi temperant. (b) His autem alia interim libidinis oestro coercendo remedia sunt querenda, donec commoda conjugii occasio adsit. Uti enim omnes leges affirmativæ occasionem requirunt: ita ad occasionem conjugii contrahendæ *speciatim* requiritur facultas, honeste ac deco-

(a) Non, ut libidini magis indulgeant. Conf. Eln. THOMAS. *in*red. ad Philas. *moralium* C. IV. §. 59.

(b) Absurda itaque fuit hypothesis RABBINORUM, quæ hominem peccato mortali contaminari statuerunt, ni, expleto vigesimo ætatis anno, uxorem duxerit. Vid. SELDENUS de J. N. ac G. *justa discipl. Ebr. l. V. C. III.* (c)

undantem, nec cum egestate conficiantem; nec nimis dignitate superiorem nec vilem; sed mediam ac parem. Quod tamen medium, quæ paritas ad punctum mathematicum non possunt reduci. Ad morum paritatem imprimis respiciendum: ita tamen ut morum ad sapientia ac prudentia regulas formatorum ratio habeatur. Stultus enim si stultæ jungatur, morum paritas utriusque stulticiam magis irritabit, infelicissimumque producet conjugium. Optimæ itaque dotis loco sapientia ac prudentia uxoris collocanda, Temperamenti paritas non nimis hic urgenda: cum aliqua ejus in utroque conjugè disparitas, modo extrema non fuerit, magis proficit, quam noceat; accedente imprimis sapientia ac prudentia. Mores quoque parentum circumspicte ponderandi. Cavendum vero est, ne oculis tantum aliquis hic videamus, atque ab amicorum aut patronorum consiliis cœci pendeamus, (d)

§. VII.

De conjugii sine speciali ex ante dictis facile

Do sine conjugii proprio.

(d) Conf. Dn. THOMASII Prudent. *consultat.* C. VII. §. 3-21. (e)

facile poteris judicare. Hic vero est honesta ac decora sobolis procreatio atque educatio. Quippe qui finis cum in nulla alia consociatione, quam in conjugali, possit obtineri; necesse profecto est, ut sit societati conjugali proprius. Non sine ratione dixi, honestam ac decoram sobolis procreationem esse finem conjugii. Promiscuam enim minusque honestam ac decoram sobolis procreationem ex libidinoso etiam cum scorto congressu, ceteris paribus, posse oriri, frequens passim experientia satis testatur. Nec frustra educationem procreationi junxi. Summum etenim numen non potest in eo acquiescere, ut infantibus orbis repleatur, instinctui mere naturali relictis, ut brutorum more vitam transigant. Vult potius, ut ad justis, honestis, decori ac prudentiæ normam actiones componant mortales. Quod cum, sine honesta, decora ac prudenti educatione infantum, fieri ordinari nequeat; quis, quæso dubitabit, utrum & hujus in meditatione de fine conjugii speciali mentio sit injicienda?

§. VIII.

Quicumque vero finis ita est compa-
 T 4 De mu-
tuo ad-
ratus, jutorio.

ratus, ut & extra societatem conjugalem possit obtineri, is non potest esse finis conjugio proprius. Atque ita se res habet cum mutuo, quod vulgo allegant, adjutorio. Quamvis enim amoris atque amicitiz vinculum, quo conjuges arctissime oportet conjungi, secum quoque ferat, ut in ferendis matrimonii oneribus mutuo sibi sint auxilio atque adjumento; amicum tamen istud auxilium, dulceque solatium, inter solutos quoque, firmissimo amicitiz fœdere junctos, locum habere potest. Est itaque hic *finis generalis omnis amice consociationis*; non conjugii specialis. (e)

§. IX.

*Conse-
laria.*

Qui itaque finem conjugii specialem, nempe honestam ac decoram sobolis procreationem, intendere omnino nequeunt, eos nec in societatem conjugalem coire oportet. Quare *impuberes* merito a societate matrimoniali arcentur; cum

par-

(e) Argumenta, quæ a dissentientibus produ-
cuntur, nullius sunt ponderis. Vid. e. gr.
STRYCKII junioris *Dissert. di sine matri-
monii*, quæ hujus causæ patrocinium ex in-
stituto suscepit. (f)

partim ob defectum animi, partim ob immaturam sanguinis dispositionem, honestæ ac decoræ sobolis procreationi operam dare nequeant. *Castratorum conjugia* rationi pariter repugnant, suntque inhonestæ, indecoræ ac imprudentia; cum spes procreandæ sobolis hic nulla supersit, atque libido in ejusmodi conjunctione magis excitetur, quam reprimatur, periculosusque admodum sit hujus consociationis eventus. (f) Quando vero spes adest, fore, ut, impedimento sublato, soboles procreetur; aliter, est pronuntiandum. Atque adeo & de conjugiiis *spadonum ac sterilium* mitius est sentiendum. Quod ad conjugia *senum ac vetularum* attinet; vel senes ac vetulæ matrimonio junguntur; vel senes & juvenculæ, aut juvenes ac vetulæ. Priori casu facilius quidem æquo istam conjunctionem animo ferre possumus, mutui solatii atque auxilii gratia firmatam. Interea tamen certum est, si rem accurate

T 5

pon-

(f) Vid. HIERONYMI DELPHINI *conjugium Eomuchi*; ubi consilia Theologica & Juridica in utramque partem facientis, deprehendes,

(g)

ponderamus, reapse non tam conjugium, quam foedus amicitiae arctioris, solenni tantum ritu nuptiali contractum, hic adesse. Posterioris autem generis confociationes conjugales inhonesta omnino sunt, nec non indecora atque imprudentes. (g)

§. X.

De prohib. conjug. ob consanguin. & affinit.

Quamvis autem quis finem matrimonii primarium intendere queat; non tamen ea propter sine discrimine ipsi permissum erit matrimonium. Attendendum enim praeterea est, annon forte facultas moralis deficiat. Quale quid in iis contingit, qui nimia consanguinitate, vel affinitate conjunguntur. Utrum vero hujus prohibitionis fundamentum in lege naturali deprehendatur; ea adhuc sub iudice lis est, atque doctores varia in medium proferunt. (h) Mibi interim

haec

(g) Dn. THOMAS, F. J. N. ac G. L. III. C. II. §. 30. seqq.

(h) GROTIUS L. II. C. V. §. 12. seq. de J. B. ac P. PVFEND. de J. N. ac. G. L. VI. C. I. §. 28. seqq. VELTHUYSIUS de naturali pudore cap. de incestu. BEYERUS dissert. de dispensat. circa matrimonium intra gradus consanguinitatis & affinitatis prohibitor. &c. (i)

hæc hæret sententia, ejusmodi conjuncti-
ones matrimoniales non quidem repu-
gnare regulæ justæ naturalis; sed adver-
sari tamen castitati, atque adeo regulæ ho-
nesti & decori. Quod quidem cognitum
facillimum est, intuitu *lineæ rectæ*; cum
nemo cum parentibus aut liberis coitum
conjugalem sit appetiturus, nisi extreme
libidinosus, & qui omni honestati nuntiu-
m misit. Intuitu autem *lineæ collatera-
lis* major adest difficultas. Quapropter
& summum numen specialibus hanc rem
legibus explicatius definivit. Quæ qua-
tenus regulis honesti, decori ac pruden-
tiæ naturalis conveniunt, merito ob-
ligationem universalem producere dicun-
tur. (j)

§ XL

Præterea observandum est, & priorem *De poly-
conjunctionem conjugalem posteriorem gamia.*
certa ratione impedire, ut polygamia evi-
teretur. Loquimur autem de polygamia,
quam vocant, *simultanea*, non *successiva*.
Hæc enim, si cetera se recte habeant,
nil

(j) Conf. Dn. THOMAS. *Fund. J. N. ac G.*
L. III. C. II. n. 38. seq. it. Dn. GUNDE. *Jus*
Nat. C. XXV. §. 27. seqq. (k)

nil continet vitii. (k)) Illa vel *muliëbris* est, quæ & polyandria vocatur; vel *viris* seu polygynia. De muliebri accurate rem ponderanti dubium superesse nequit, quin regulis honesti & decori repugnet; sc̄m̄ina quippe, pluribus nubens, libidinem satis manifesto prodit, nec honestam decoramque sobolis procreationem atque educationem unquam intendere potest. (l) Polygamia virilis tanta quidem fœditate non laborat: interim tamen inficias ire nemo poterit, virum polygamum minus esse castum, atque adeo minus honestum, minusque decorum. Quid? quod & regula prudentiæ viris polygamiam non potest non dissuadere. Regulæ vero justæ naturalis polygamia nulla repugnat, nisi qua pactum forte conjugale prius violatur. Atque ita explicandi sunt, qui polygamiam juri naturali non repugnare affirmant. (m)

§. XII.

(k) Quæ Patrum nonnulli objecerunt, nullius sunt ponderis, aut momenti.

(l) Quare nec ulla gens unquam polyandriam sc̄m̄inis permisit.

(m) Conf. GROTI. *cit. cap. §. 9.* PUFEND. *cit. cap. §. 15. seqq.* KULPIS, *coll. Grat. cit. cap.*

§. XII.

Post hæc notandum est, societatem conjugalem consensu utriusque partis perfici, atque adeo pactum ad formandam hanc societatem esse necessarium, quomax ac foemina animum honeste ac decore sobolem procreandi sibi mutuo declarant.

§. XIII.

Quod pactum sæpe præcedunt tractatus sponsalium, qui obligationem quidem non producant firmam ac stabilem; interea tamen in regulam honesti & decori peccat, qui turpi adfectu ductus ab his tractatibus temere recedit. (n)

§. XIV.

Simulac vero utraq; pars mutuo consensu sibi fidem de adfectu conjugali dedit; matrimonium, ex principiis rectæ rationis,

cap. thes. 6. Ubi & controversiam de polygamia brevibus illustrat. De qua vid. quoque Dn. BUDEI Theol. mor. P. II. C. III. S. VI. §. 9. in not. Add. HOCHSTETT. Coll. Pusend. p. 398 seqq. Dicendum hic etiam, de litibus, quæ WILLEMBERGIO, Jcto Dantiscano, ob defensionem polygamiam, motæ fuerunt.

(n) Conf. Dn. THOMAS. *differs. de tractat. sponsal.* (a)

tionis, est perfectum; cum *consensus in præsens conjugiam faciunt nuptias*, non concubitus, non solemnitas, quæ moribus accedere debent. Unde concludimus, hoc deficiente consensu nec conjugium adesse, si vel maxime de cohabitatione & concubitu constet. De hoc autem consensu eadem sunt statuenda, quæ in doctrina de pactis supra tradidimus. Quare & quæ de infantibus, furiosis, ebriis, dolo deceptis, metu compulsis, errore seductis, ibi inculcavimus, hinc pariter sunt applicanda.

§. XV.

De con-
dit. pa-
cti con-
jugalis. Pacti conjugalis momenta potiora ad rectæ rationis ductum sequentia constituimus. 1) Ut utraq; pars mutuam corporis usuram sibi concedat; id quod finis matrimonii omnino requirit. 2) Ut facultas præscindatur, hanc corporis usuram, durante matrimonio, aliis inducendi: quod regula honesti ac decori suadet. 3) Ut ordinaria cohabitatione, quoad fieri potest, secum invicem consuescant; quod itidem partim finis matrimonii poscit, partim regula honesti & decori. 4) Ut maritus familiæ præsit, uxor-

uxorque ipsius moderamen admittat: quippe quod magis honestum est & decorum, quam si secus se res haberet. 5) Ut aliqua, saltem quoad usum, sit inter conjuges bonorum communio: quam pariter regula honesti & decori comendat, communiaque etiam matrimonii onera, mutuo auxilio ferenda, efflagitare videntur. 6) Ut perpetuo vinculo jungantur: quippe quod solidioris perfectionisque amoris est indicium, adeoque & fini matrimonii nec non regulæ honesti ac decori exacte convenit. Quid? quod & regula prudentiæ vagam diluadet mutationem.

§. XVI.

Cave tamen existimes, eam hic intelli- *De di-*
gi vinculi conjugalis perpetuitatem, ut *divortio.*
ne ullus unquam divortio locus relin-
quatur. Quamvis enim regulam justii
violet conjux, contra fidem datam a con-
juge secedens; quamvis etiam utraque
pars, ex animi levitate mutuo consensu
divortium faciens, in regulas honesti, de-
cori ac prudentiæ peccaret; nullatenus
tamen omne divortium est damnandum.
Justum vero oportet eius adesse causam:

qua-

qualis, dictante recta ratione, adest, quoties finis matrimonii turbatur, fidesque pacto conjugali firmata violatur. Id quod contingit adulterio, maliciosa desertione, pertinaci conjugalis debiti denegatione, infidiis vitæ alterius conjugis structis, immo, si in solis recte rationis principiis subsistimus, quavis insigni unius conjugis turpitudine, moribusque omnino intolerabilibus, omne amoris conjugalis fundamentum plane subruentibus. (o)

§. XVII.

*De jure
conjugum.*

Quod tandem ad jus conjugum attinet, idem ex pacto conjugali est definiendum. Ad id enim cuique jus est proprie dictum, quod pacto conjugali eidem fuit promissum.

§. XVIII.

De officio conjugum.

Atque hoc ut pars utraque sancte servet,

(o) Dicendum hic de SCHOLA SAMMELIANA atque HILLELIANA: quarum de divortio lites exposuit SELDENUS in uxore Hebraica l. III. C. 22. it. LIGTFOOT in horts Hebr. Dicendum etiam de MILTONIO, qui Hillelianos sequutus, licentiam divertendi promiscuam maritis tribuit. Conf. PUFEND. cit. l. VI. C. I. §. 20. seqq. Biquis HERT. ac BARBEYKAC.

(p)

vet, regula iusti præcipit. Præterea regula honesti, decori ac prudentiæ officia conjugum augment. Hæ enim volunt, ut ærctissimo se invicem amore complectantur; adversaque adeo non minus, quam prospera fortuna, sine socii; acque alter alterius calamitates solatio & auxilio, quoad fieri potest, leniat emolliatque; nec minus ut mores ad concordiam mutuamque tolerantiam prudenter componant.

§. XIX.

Mariti specialim est, (p) prudenter cavere, ne imperio in uxorem abutatur. Meminisse enim oportet, uxorem esse sociam, non servam. Inter dominum & servam nulla potest firma esse amicitia; qua tamen ni fundamentum matrimonii fuerit, male profecto de re conjugali actum erit. Quare secundum regulas honesti, decori ac prudentiæ moderamen solum amore marito ita est temperandum, ut suam quidem libertatem modeste ab imperiosa uxore defendat; nec tamen despotam

XXV.

spotam

(p) De uxorum officio specialiter non addidimus, eum non feminis, sed masculis scribamus. Cœp. Dn. THOMAS. prudent. consultat. cap. VII. §. 22. seqq.

(q)

spotam agat, aut morosum uxoris cen-
 forem castigatoremve. Prudenti itaque
 consilio regenda uxor, atque hac ratione
 ad decorum perducenda est obsequium.
 Nec spernendum est prudens uxoris con-
 silium; neque eadem ab arcanis dome-
 sticis excludenda; nec innocentia mo-
 rum ipsius temere in suspensionem vocan-
 da; imbecillitates ejusdem patienter fe-
 renda, atque amica prudentique ratione
 corrigenda. Hic enim agendi modus
 ad amicitiam conjugalem magis magis-
 que firmandam apprime facit, atque ad
 commune familiae emolumentum per-
 quam conducit. Quod si tamen corrigi
 nullo modo queat uxor, moribusque o-
 mnino intolerabilibus ad extrema usque
 marito molesta fuerit, vel gravissimis
 ipsum injuriis affecerit; remedia tutiora
 ex regula prudentiae ita eligenda, ne suis
 ipsius famae maritus magis noceat, quam
 consulat, neque liberis indelebilem adul-
 terinae proles maculam adspargat.

§. XX.

De seu pro ac fornicatione. His ita expositis, tandem quoque de
 conjunctionibus honesta ac decorae con-
 sociationi conjugali adversis est agendum.

Quo

Quo referimus primo loco stuprum ac fornicationem. *Stuprum* denotat concubitum cum foemina, quae hactenus honesta fuit habita, libidinis expletioni infervientem: qualis omnino regulae honesti ac decori repugnat. Quod si autem stuprum violentum fuerit, & regulae justae naturalis violatur. *Fornicatio* denotat concubitum libidinosum cum prostibulo, cui pudicitia est venalis; adeoque magis est inhonesta atque indecora.

§. XL.

Cum neutra autem harum conjunctionum confundendus est concubitus proprie dictus. (p) Hic enim denotat conjunctionem cum foemina honesta, vixque libidinis vicandae gratia institutam; ita quidem, ut & sobolis progredandae ratio habeatur; haec autem justae prolis conjugalis, ac mater justae uxoris dignitate careat, viroque facultas divortii atque justae uxoris duendae libera relinquatur. Qualis quidem conjunctio regulis justae non est

De concubinitu

U 2

(q) Peculiarem paucis abhinc annis dissertationem de concubitu edidit Dr. THOMAS MASIUS, quae non minus diligentis calumiam exercuit.

(r)

adversari: interea tamen certum est atque evictum, eandem regulam honesti & decori non exacte convenire.

§. XXII.

De adulterio. Scrupulum ac fornicationem foeditate superat adulterium; quippe quod non solum honesto & decoro, sed & regulam justitiam adversatur. Est enim adulterium violatio fidei conjugalis per conjunctionem conjugis cum aliis.

§. XXIII.

De bestialitate. Denique & foeditimum bestialitatis, ut vocant, vitium hic notamus: quo abrepti homines cum aliis sui sexus, aut cum brutis turpissima libidine congregantur. Quales pudicitiam legem adeo transgrediuntur, ut summo gradu inhonesti sint atque indecori.

§. XXIV.

Applicatio ad St. Nat. Eorum, qui in statu naturali vivunt, quanta etiam potestate ac dignitate pollebant, matrimonia aequae ad normam rectae rationis ante expositam componi debent, ac aliorum, qui imperio civili subsunt. Quare & vitia, quae polygamia, incestus nuptialis, stupro, fornicationi, concubinato, adulterio, nec non vago divortio adhaerere

hærerè demonstravimus, manent talia etiam in conjunctionibus summorum imperantium. (r)

§. XXV.

Cave tamen cum concubinato confundas matrimonium ad morganaticam: *De matrimonio ad morganaticam.* quod verum est matrimonium, licet minus solemne. Est enim artificissima ac ratione intentionis perpetua maris ac foeminae conjunctio, cum in finem contracta, ut honeste ac decore soboles procreetur atque educetur; *addita tamen conventioni, ne uxor ac liberi de dignitate mariti ac patris participent, nec successionis jure gaudeant;* sed in portione sibi peculiariter assignata acquiescant.

§. XXVI.

Imperium, quod vocant maritale, nec in hoc statu majori potest instructum censi potestate, quam quæ ante ex natura *De imperio maritali.* matrimonii fuit explicata. Princeps enim æqualem sibi foeminam jungens, thori sociam nanciscitur, non subjectione civili sibi obnoxiam; nisi pacto res aliter sit definita. Quæ Principes in conjuges æquales

U 3

(r) Conf. Dn. GUNDL. J. N. C. XXVI.

(s)

quales nonnumquam sine pacto edidere
 summe potestatis documenta, multum
 profecto partim facti, partim superstitio-
 nis, sed parum juris habuere. Quid?
 quod in statu naturali singulari conventi-
 one femina eam sibi libertatem potest
 stipulari, ut imperium maritale omnino
 quiescat, communibusque familia consili-
 is regatur. Quod uti regula justis nullo
 modo repugnat: ita si justa de causa, non
 pravorum adfectuum ductu, nec in soci-
 etatis conjugalis detrimentum, pactum e-
 jusmodi fuerit adjectum; salva quoque
 sunt regula, honesti, decori ac pruden-
 tia. (s)

§. XXVII.

De riti-
 bus nu-
 priati-
 bus.

Ceterum uti personæ, in statu æqualita-
 tis constituta, sine his obægia, aliisque, qui
 ex legibus privatis oriuntur, ritibus, nu-
 ptias celebrare possunt: ita evidentissi-
 mum quoque est, nil obstare, quo minus
 matrimonium per procuratores con-
 sum-

(s) Conf. Dn. PALTHENII *dissert. de ma-
 rito Regina*; ubi dubiis vulgaribus, quæ
 multorum animos hac in re, in primis ex
 male intellectis sacrarum litterarum locis,
 torquent, abunde est satisfactum.

summare queant. Ad matrimonii enim consummationem consensus in præsens conjugum & consensus lecti genialis sufficere videtur, licet copula carnalis differatur.

§. XXVIII.

Possunt quoque in hoc statu personæ *De di-*
æquales, posita iusta divortii causa, suo *divortio.*
iudicio ab invicem discedere divortium-
que facere. (r) Interea tamen melius a-
gunt, si suo hoc in re iudicio non nimis
fidant, sed & aliorum hominum, qui pru-
dentia pollent atque neutrarum sunt par-
tium, consilia circumspecte admittant.
Qui vero agendi modus, non juris est, sed
consilii.

§. XXIX.

Quamvis vero arctissima debeat esse *De com-*
consociatio conjugalis; non tamen impe-
tium communionem producit; quippe quæ *muniōne*
singularem requirit utriusque conjugis *imperii.*
cum populo conventionem. (u)

U 4

§. XXX.

(r) Quod & Germaniæ Principibus, qui a pontifice Romano non pendent, jus fasque censeri debet.

(u) Rem illustrabimus ex historia Imperatorum Romanorum, itaque Regum Francicorum

§. XXX.

*De doto
ac dota-
tio.*

Quod denique ad dotem attinet atque dotalitium, uti in his voluntas paciscen-
tium omnium absolvit paginam; ita non
est, quod præterea de iisdem monca-
mus.

§. XXXI.

*Applica-
tio ad St.
Civil.*

Conjugiorum libertatem in civitate non parum circumscribi notissimum est. Id vero partim prudentia jussit, partim superstitio, atque astutia efficit. Quod in doctrina jurisprudentiæ civilis atque ecclesiasticæ specialius ostendendum.

(*)

CAP. XII.

DE OFFICIO AC JURE
PARENTUM AC LIBERORUM.

§. I.

*Conno-
tio.*

Quando finis matrimonii primarius obtinetur, sobolesque in lucem pro-

pro-

corum ac Germanorum. Dicendum quoque de Rege magnæ Britannie Guilielmo III. ejusque conjugio. Addenda quædam de præsentis Suecorum Regine ejusque conjugio.

(*) Conf. interea Dn. GUNDEL. J. N. C. XXVII.

(*)

prodit; societas inde oritur inter parentes liberosque, maxime naturalis; cujus itaque rationes singulares jam sunt explicanda.

§. II.

Nempe soboles in lucem edita *alimen-* De offi-
tis indiget atque *institutione*, ad sui con- cio pa-
 servationem melioremque formationem. rentum
 Qua in re cum sibi recens nata soboles ros.
 ipsa consulere nequeat; aliorum necesse
 est opera atque auxilium accedant. Cum
 autem post Deum parentes effecerint, ut
 partus hac lucis usura fruatur, atque hic
 sit pars sanguinis parentum; consequitur
 profecto, & parentes præ ceteris *regula*
honesti ac decori obligari, ut seriam edu-
 candi, seu alendi atque instituendi partus
 curam gerant. Quam si neglexerint,
 turpissimum edunt aut summæ avaritiæ,
 aut ambitionis, aut voluptuosissimæ ne-
 gligentia documentum; atque adeo sum-
 mo gradu sunt inhonesti atque indecori.

§. III.

Ut autem bene formentur liberorum Quod
mores, mature eorum *correctio* est incho- spectati-
anda, nec cæco adfectu existimandum, in us expli-
 tenella ætate cuncta liberis esse indulgen- catur.

da. A teneris aduēscere multum est. *Laudibus* pariter ac *vituperio* prudenter utendum: uti enim intempestivæ laudes non possunt non corrumpere liberos; ita tamen perpetuum vituperium facit, ut ob-
brutescant. In educatione porro liberorum necesse est, ut aliquo modo educantes eorum se moribus capisique accommo-
dent, aliosque alia ratione prudenter corrigere tentent. Quare & sibi sunt non-
numquam relinquendi; ita tamen, ut quasi aliud agendo eorum genium, interea eo melius investigemus. Ante omnia vera
in Deum pietate, quam supra delineavi-
mus, imbuendi. Cautē etiam agendum in vite genere ipsis eligendo, ne vel cœ-
co ipsorum adfectui indulgeamus, vel ge-
nium atque aptitudinem omnino negli-
gamus, eosque ad vite genus, repugnan-
te Minerva, amplectendum adigamus. (a)

§. IV.

*Da jure
paren-
tum in
liberos.*

Ex obligatione parentum ad educan-
dos liberos jus quoque eorum in liberos
est deducendum. Cum enim educatio sine
pote-

(a) Conf. Du. THOMAS. *Prudent. consult.*
C. VII. §. 48. seqq. LOCKIUS *de educatio-
ne infant.*

(b)

potestate aliqua in liberos male moratos
 perfici nullo modo possit; consequitur,
 Deum, qui lege naturali finem parenti-
 bus injunxit, iisdem quoque potestatem
 liberorum actiones dirigendi, velut me-
 dium ad finem necessarium concessisse.
 Unde & evidentissime patet, oriri hoc jus
*proxime ex ipsa lege naturali, atque utri-
 que parenti esse commune.* (b)

§. V.

(b) GROTIUS fundamentum hujus potesta-
 tis ipsam generationem statuit de *J. B. ac
 P. L. H. C. V. §. 1.* Quem KULPISIUS in
coll. Grot. cit. cap. thes. 1. lit. s) in not.
 prolixè ob objectionibus defendit. Ve-
 rum si quis rem accurata lance pensave-
 rit, generatio tantum est hujus potestatis
 occasio, HOBBIUS de *cive Cap. IX.* ita
 hac de re philosophatur, ut existimet, *jus in
 infantem primum esse matris*, quippe quæ
 eum prima habeat in sua potestate: ab hac
 demum transire idem in matrem vel ex
 conventionem, vel jure victoriæ. Cui philo-
 sophiæ non pauci contradixerunt. Vid.
 PUFEND. de *J. N. ac G. L. VI. C. II.
 §. 2. seq.* Dn. BUDDEUS *dissert. de com-
 parat. obligat. quæ ex divers. hominum stat.
 oriuntur, §. 16.* Qui tamen nonnulla Mal-
 mesburiensi Philosopho tribuerunt, quæ
 ipse non statuit; prout notavit BARBEY-
 RAC. ad *Pufend. cit. loc.* Ipse quoque
 PUFEN.

§. V.

*Cujus
sint par-
tes poti-
ores.*

Quamvis autem jus in liberos utriusque parenti commune esse dixerim; cum utriusque cura educationis incumbat; potiores tamen *ordinario patris* esse partes ex iis elucescit, quæ ante de moderamine maritali demonstravimus.

§. VI.

*De ejus
limiti-
bus.*

Hujus, quam parentibus in liberos vindicavimus, potestatis limites facile ex fine presentis societatis licet metiri. — *Tanta enim parentes gaudent potestate, quantum honestæ, decoræ ac prudentis educationis ratio requirit.* Possunt itaque eosdem modice castigare; aliis adoptandos dare; par-

PUFENDORFFIUS, posteaquam Hobbesii fundamentum destructum ivit, minus deinde accurate ad *consensum liberorum præsumtum* provocat §. 4. Præsumtum enim *consensum* proprie dictum nullius esse usus in juris prudentia naturali, supra jam demonstravimus. Sin præsumtus *consensus* idem esse debet, qui tacitus audit; hic profecto ideo locum habere nequit, quod infantes recens nati, ab defectum rationis, facultate consentiendi omnino destituuntur. Conf. Dn. THOMAS. *Jurisp. div. L. III. G. IV. §. 10. seqq.* it. KULPIS, *cit. l. lit. c.*

(c)

partem quoque educationis in *præceptores* prudenter devolvere; immo & urgente necessitate, liberos *oppignorare* ac *vendere* in servitutem tolerabilem, ut conservationi ipsorum aliqua saltem ratione consulatur. Summum autem in liberos *jus vitæ ac necis*, absolutamque *in eorum bona potestatem* parentes, qua tales, ex solis juris naturalis principiis, sibi tribuere nequeunt, cum educatio talia non requirat. (c)

§. VII.

Juri parentum in liberos horum re- *De offi-*
spondet obligatio peculiaris ad *obedienti-*
entiam. Non solum enim regula hone- *cio libe-*
sti & decori obligantur liberi, ut parentes *rorum*.
singulari *amore* atque *reverentia* prosequantur, adeoque & imbecillitates & vitia eorum patienter ferant, ac pro viribus ipsis auxilio sint atque solatio; sed & regula justæ præcipit, ut actiones suas, quam diu sunt in familia parentum, ad horum voluntatem, in rebus licitis, componant; ne legitimum jus ipsorum violetur.

§. VIII.

(c) Conf. PUFEND. *cit. l. §. 6. seqq.*

(d)

§. VIII

De jure
libero-
rum.

Contra vero & liberis quædam tribui jura possunt, quæ violare parentibus nefas esse debet. Nempe jus ipsis est con-
servandi vitam, sanitatem, liber-
tatem, existimationem simplicem; item-
 que ubi maturitate judicii pollent, *jus se-*
quendi ductum rectæ rationis magis, quam
 voluntatem parentum, rationi adversam;
cognoscendique adeo veritatem, neglecto
 parentum errore; nec non *eligendi reli-*
gionem, pro ea, quæ frui debent conscien-
 tiæ libertate; ut & *bona sibi acquirendi,*
 porro *honestum vitæ genus cum ratione*
amplectendi; ac denique *decentem con-*
jugii occasionem, ubi nullæ parentibus
 sunt, aut minus justæ dissentientiæ causæ,
opportune sequendi, atque *e familia paren-*
tum modeste egrediendi. Quod si itaque
 parentes, potestate sua abusi, pravisque
 corrupti adfectibus, abortum procurare,
 aut infantes exponere, atque abjicere,
 aut ea liberis denegare vellent, quæ ad
 victum & amictum, ad sanitatem, nec
 non libertatem, atque existimationem
 conservandam sunt necessaria; itemque si
 reliqua, quæ recensui, liberorum jura tur-
 barent,

barent, non solum inhonesti sunt, atque indecori, certa que ratione imprudentissimi; sed & iniusti merito audiunt.

§. IX.

Societatem, qua parentes ac liberi ^{Quo pa-} continentur, 1) ^{cto socie-} morte, tum parentum, ^{tas par-} tum liberorum dissolvi, certum est. Quo ^{ac liber-} casu tamen, qui officia parentum in libe- ^{dissolva-} ris educandis deinde implent, tutores vel ^{tur.} alii, & jus ac potestatem parentum nanci- scuntur, si sola recte rationis principia sequimur. 2) *Bona utriusque partis gra- tia legitimoque consensu.* (d) 3) *Iusta liberorum immorigerorum abdicatione.* Quando enim hi nulla ratione in ordi- nem redigi queunt; nec est, quod de in- juria querantur, si vel inviti e domo pa- rentum ejiciantur. 4) Denique & *in- vitis parentibus secedere liberi juste pos- sunt,* si intolerabilis sit illorum scvitia; vel

(d) Quod & contingit in *adoptione*, qua pa- rentes liberos non dissentientes aliis ado- ptandos permittunt. Quales liberi adoptivi deinde secundum pactum adoptioni adje- ctum, vel ad normam legum civilium tra- ctandi.

(e)

vel alias injuriosa omnino cum liberis agendi ratio; nec non, si matrimonium separatumque oeconomiam appetentibus modeste rogatum consensum sine ulla justa causa denegaverint. Quod si vero justæ ipsis suppetant dissentienti causa, injustus utique est talis liberorum secessus. (c)

§. X.

*Quid
postea
juris.*

Qua dissolutione peracta, officia ac jura parentum ac liberorum, ex consociatione ista singulari deducenda, vanescunt, liberi que sui juris evadunt, *salvo utrimque officio mutue amoris.* Liberorum speciatim est, reverentia parentes nunquam non amore complecti ac beneficium educationis grata mente agnoscere, immo, si fieri potest, & conditio parentum hoc

(c) Quare evidens est, matrimonium, quod liberi, in potestate parentum constituti, his injuris, justaque de causa dissentientibus, contrahunt, jure naturali irritum ac nullum esse pronuntiandum; quippe cum juris parentum legitimi violatione conjunctum. Utrum autem prudenter agant parentes, jus suum hoc casu nimis urgentes, ea alia est questio. Conf. GROTI. L. II. C. V. §. 10. PUFEND. cit. cap. §. ult.

(S)

hoc requirit, ipso opere pensare. Quod *liberorum officium ex lege gratitudinis*, quam regula honesti & decori complectitur, recte deducimus. (f)

§. XI.

Quæ de officio ac jure parentum, nec *non liberorum diximus*, in statu naturalitio ad utique locum habent. Contingere tamen interdum potest, ut in hoc statu *potiores potestatis in liberos partes ad matrem spectent*, ob singularem conventionem, aut personæ imperio civili instructæ conditionem. (g) *Utrum autem in hoc statu pater, qua caput familie, jure vitæ ac necis gaudeat*, ea disceptari solet quæstio. (h) Ego quidem patri, tamquam capiti X fami-

(f) Quare opus non est, ut ad *pactum tacitum*, quod perspicue demonstrari nequit, hic provocemus; quod, quantum ad honorem parentibus post emancipationem debitum, fecit HOBBSIUS *de cive Cap. IX. §. 8.*

(g) Quod fluit ex iis, quæ *cap. præced. §. 26.* diximus. Conf PUFEND. *de J. N. et G. L. VI. C. II. §. 5.*

(h) Quam affirmavit HOBBSIUS *de Cive cap. IX. §. 8.* familiam cum civitate confundens, summamque patri, quod Principi competit, imperium in familiam tribuens. Quem secutus est ROBERTUS FILMER,

An-

familiæ, jus vitæ ac necis in filium immo-
 rigerum tribuo; sed per modum belli de-
 fensivi exercendum. Potest enim pater
 filium ejusmodi e familia ejicere: quo
 casu si filius in patrem insurgat, vi bellica,
 quæ jus vitæ ac necis complectitur, pot-
 est repelli. Majorem potestatem pater,
 qua caput familiæ, in statu naturali sibi
 vindicare nequit. Quod si autem pater
 simul sit caput civitatis, atque adeo & sum-
 mo in liberos imperio civili instructus;
 tunc nullum est dubium, quin, justa de
 causa, & jure vitæ ac necis per modum
 poenæ in liberos uti queat. (2)

§. XII.

*Applica-
 tio ad
 St. Civ.*

Officium parentum etsi supra ex regu-
 la honesti ac decori deduximus; in statu
 tamen

Anglus libro, cui titulus: *Patriarcha*. Ve-
 rum hanc hypothefin ex instituto refuta-
 runt ALGERNON SIDNEY, & JOAN-
 NES LOCKIUS, uterque libro *de regimi-
 ne civili*. Summam argumentorum vi-
 dere licet apud BARBEYRACIUM *in not.
 ad Pufend. de J. N. ac G. L. VI. C. II. §
 10. not. (2)*

(1) Conf. Dn. GUNDL. *J. N. C. XXVIII. §. 3.
 seqq.* Qui provocat ad exemplum Philippi
 II. Regis Hispaniarum.

(k)

tamen civili nullum est dubium, quin *per leges pœnales parentibus onus alendi atque educandi liberos eodem modo possit imponi*, ut deinceps ex regula justî sint obligati, atque neglecti hujus officii pœnas luant promeritas. Interest enim reipublicæ, ne cura alendi atque educandi liberos ab arbitrio parentum, sæpe obligationem internam, cum reipublicæ detrimento, negligentium, suspendatur. Præterea & *potestas parentum* in liberos a civili imperio ita pendet, ut in communem Reipublicæ utilitatem *limites* ejusdem legibus civilibus specialius utique possint ac soleant definiri. Quare uti non injustum est, ut civitas *jus vitæ ac necis* in liberos, justa de causa, vice magistratus, exercendum permittat: ita tamen regulæ prudentiæ magis conducit, ut hoc jus potius ipsi magistratui relinquatur, ne parentes, vel crudelitate, vel indulgentia nimia moti, eodem abutantur. (k) *De officio ac ju-*

X 2

re

(k) Sic *Romani*, qui olim *jus vitæ ac necis* parentibus indulserant, rem deinde non sine ratione mutarunt. De *Germanis* idem affirmandum. Apud *Ebræos* quoque *jus hoc vitæ ac necis* in usu fuisse, testis est BODI-
NUS

re liberorum leges civiles itidem recte hoc modo statuunt, ut nonnulla specialius declarent, in ceteris autem præcepta legis naturalis confirmant. (1)

CAP. XIII.

DE OFFICIO AC JURE DOMINORUM & SERVORUM.

§. I.

De origine servitutis.

ORto distincto rerum dominio, multiplicatisque in terrarum orbe familiis, & servitus pedetentim est introducta. Deus enim ac natura homines in hac statione liberos collocavit; quorum deinde non pauci facto suo atque aliorum in servitutem sunt redacti. (a) Quoniam enim non pauci mortalium, partim

avaris-

NUS *de Republ. L. I. C. IV.* Verum hunc deceptum esse patet ex *Deut. XXI. 18. 19.*

(1) Conf. ad integr. §. PUFEND. *cit. cap. §. II.* it. Dn. GUNDL. *J. N. C. XXIX.*

(a) Notandus itaque HORNIUS, qui *L. I. C. III. de Civit.* potestatem heri in servos a DEO proxime deduxit. Notandi itidem ARISTOTELICI, qui de *servis natura talibus*

avaritia atque *ambitione* permoti, plura acquirendi cupidine flagrabant; partim *voluptate* ducti segnius commodiusque vitam transigere gestiebant; alii vero *stupiditate* atque *indigentia* laborabant; factum est, ut servitus ingenuitatem invaserit. Accessit moribus gentium nova servitutum occasio ex *bellorum frequentia*. Posteaquam enim inhumanum minusque proficuum videbatur rigorosum victoriae jus, quo victores victos occidere solebant; mos invaluit inter gentes, ut captis vita condonaretur, ea conditione, ut in perpetuam concederent servitatem. (b)

X 3

§. II.

libus minus accurate verba faciunt. Quae doctrina etiam Pontifici non pauci abusi sunt. Notandus etiam PROELEUS, qui in *notis ad Pufendorff. de Off. H. ac. C. L. II. C. IV. §. 1. p. 267.* existimat, *DEum* velut lege quadam naturali *praecepisse*, ut *sapiens imperet insipienti*. Nam profecto a sapientia ad jus, insipientem instar servi habendi, non valet conclusio. Conf. TREUERUS *ad cit. §. Add. PUFEND. de J. N. ac G. L. VI. C. III. §. 2. seqq.*

(b) Quando vero quis ex dictis concludit, *jure gentium servitutem esse introductam*; (vid. ex. gr. ZENTGRAV. *de jure Gent. Artic.*)

§. II.

*Finis so-
cietatis
herilis.*

Societatis herilis finis est *utriusque partis utilitas*. Heri quippe scopus est, ut operis servi utatur, in opum acquisitione, vel administratione, itemque ad vitam commodius decentiusque transigendam; servi autem, ut victum atque amictum a domino accipiat.

§. III.

*Funda-
mentum
hujus so-
cietatis.*

Occasione societatis herilis exposita, indicatoque ejus fine, fundamentum quoque introductæ servitutis genuinum est ostendendum. Hoc vero *factum* est, quo uterque consensum suum in hanc societatem declarat; & quidem vel disertis verbis, vel ipso facto; quod posterius ple-
rum-

Artic. VI. §. 6. p. 247.) verba cum grano salis sunt accipienda, ita, ut per jus gentium mores duntaxat gentium arbitrarios, non legem præcipientem intelligamus. Non enim servitus lege est præcepta, sed tantum permiffa. NB. Inquirendum hic etiam, *qua de causa servitus bellica inter Christianos fuerit sublata*. Vid. HUBER *de jure Civit. L. II. S. I. Cap. VI. n. 25. seqq.* Dn. THOMAS. *Dissert. de hominibus propriis*. HERTIUS *ad Pufend. cit. libr. VI. C. III. §. 10.* TESMARUS *ad Gro- tium L. II. C. V. §. 27.*

(c)

rumque in servitute bellica factum. Uti enim quilibet jure connato gaudet, libertatem naturalem conservandi; ita sine hujus consensu alter in ipsum potestatem herilem sibi non potest vindicare, nisi cum manifesta regulæ justæ violatione. Et quamvis iusto bello capti de injuria queri non possint, quod victor ipsos in servitutem redigere velit; ante tamen consensum suum servi non fiunt; sed hostes manent, a quibus hostilia expectanda, ni probe custodiantur.

§. IV.

Pacto hoc rite perfecto, jus inde domino enascitur in servum, quod imperii herilis nomine venit. *De imperio herili.* Vi cujus herus in genere gaudet facultate servorum operis in suam utilitatem utendi.

§. V.

Ceterum, quod ad specialia hujus potestatis capita potiora atinet, operæ pretium est, in diversam servorum conditionem prius inquirere, quam illa recensere. *De diversis servorum conditione.* Sunt enim servi, qui in certum duntaxat temporis spatium ad operas, quas locarunt, heri sunt obligati. Alii vero in

perpetuam consenserunt servitutem, ac durissimam mancipiorum conditionem subierunt.

§. VI.

Distincta servitutis descriptio.

Unde & distincta servitutis descriptio oritur. Nempe posterior servitutis species, quæ perfecta aliis audit, est ejusmodi hominis conditio, quæ potestati heri in perpetuum, atque absolute, quantum per rationem fieri potest, subiectus redditur. Prior vero, quam imperfectam vocant servitutem, est ejusmodi hominis conditio, quæ imperio heri, intuitu operarum, contractus locationis diserte aut tacite promissarum, obnoxius existit.

§. VII.

De potestate in mancipia.

Pensitata distincta servorum conditione, primo nunc loco investigandum, quanta herus in mancipia potestate gaudeat. Hanc autem, si quis absolutam, quoad recta ratio permittit, pronuntiaverit, is profecto meo quidem iudicio non errabit; nisi mancipium singulari conventionione eam ante limitaverit, quam durum servitutis jugum suscepit.

§. VIII.

De jure alienan-

Quapropter & heri *ius vendendi man-*
cipi-

cipium tribuere nullus dubito. *Quam-di man-*
 vis enim res vendi dicantur, non personæ; *cipia.*
 nihil tamen obstat, quo minus jus regen-
 di servum, eique imperandi, atque operis
 ejus utendi, certo intercedente pretio,
 quod jura nostra hujus generis omnino
 admittunt, in alium transferre queamus.
 Neque distinctionem hic admitto inter ser-
 vum bello captum, & eum, qui sine violen-
 tia bellica in perpetuam servitutem est re-
 ductus; (c) cum utrinque eadem sit ratio,
 nisi servus singulari pacto stipulatus fue-
 rit, ne alii, quam huic domino servire
 unquam teneatur. Unde quoque con-
 sequitur, servum & permolari, aut in usum
 fructum dari, aut locari posse, ut operis
 ejus alter utatur, fruatur. Quod si do-
 minus servum in duriores conditionem a-
 lionaverit, ubi pactum deficit, injurius
 quidem in servum non existit, in regulas
 tamen honesti & decori utique peccat.

§. IX.

Id vero ad scopum hujus societatis an- De jure
 tea expositum non conducit, ut herus jure *vita ac*
 vitæ ac necis, per modum pœnæ, in man- *necis.*

X 5

cipium

(c) Quæ Pufendorfii est distinctio.

(d)

cipium fruatur. Quodsi enim dominus finem, quem jure suo intendit, ob deperditos mancipii mores, nulla ratione consequi potest; *sufficiet profecto ejectio e familia ad molestiam amolendam.* Sin servus vim expulsionis opposuerit, *per modum belli* herus ejus violentiam repellere potest, & quidem ubi necesse fuerit, etiam ad internecionem usque. *Nec in mancipia bello capta aliud jus vitæ ac necis herus jure naturali sibi potest vindicare. (d)* Licet enim jure victoriæ, ceteris paribus sine injuria hostis potuisset olim occidi; sublato tamen per pactum belli statu, jus occidendi expiravit; *quamvis mancipium in jus vitæ ac necis consensisset.* Qua enim quæstio ratione solida demonstrabis, hominem, qui ipse arbitrio in vitam suam destituitur, idem alteri consensu suo posse permittere?

§. X.

(d) Quod tamen affirmat PUFEND. *de Off. H. ac C. L. H. C. IV. §. 3. 4.* verbis finalibus, Recte GROTIUS *de J. B. ac P. L. II. C. V. §. 28.* hero negavit jus vitæ ac necis, cumque eo BOECLERUS, FELDENUS KULPISIUS, TESMARUS, reliqui Conf. GUNDL. *J. N. C. XXX. §. 6. seqq.*

(e)

§. X.

Ceterum ea non parum agitata est quæ-
 stio, utrum jure naturali herus eadem, *De jure
 in libe-
 ros man-
 cipior.*
 quam ante adstruximus, potestate in libe-
 ros quoque servorum perpetuorum gau-
 deat? Quam licet nonnulli negaverint;
 (e) non tamen existimandum est, *mores
 gentium,* qui & liberos Mancipiorum heri
 potestati obnoxios reddidere, juri naturæ
 absolute repugnare. Non enim injuria
 fit ei, quem quis aluit atque educavit, si
 ad perpetuas deinde operas mercenarias
 adhibeatur. Nec pater potuit generare
 liberiores, quam ipse erat. (f)

§. XI.

Quibus ita expositis, observandum est, *De jure
 in ser-
 vos con-
 ductos.*
 melioris omnino conditionis esse servos
 mercenarios, ad operas temporarias con-
 ductos. Non enim durius ipsis jugum
 herus potest imponere, quam *contractus
 leges*

(e) Dn. BUDDÆUS *Philos. pract. C. IV. S. XII. §. 5. C. V. S. VI. §. 12.* PROELEUS, nec non TREUERUS *ad Pufend. de Off. H. ac C. L. IAC. IV. §. 6.*

(f) Conf. GROT. *de J. B. ac P. L. II. C. V. §. 29.* ibique ZIEGLER. PVFENDORFF. *de J. N. ac G. L. VI. C. III. §. 9.* Dn. GUNDL. *de. l. §. 14.*

(g)

leges permittunt. Interea tamen potestas huic competit, servo tali *debitas operas imperandi*, segnius opus facientem *medica coercitione* in ordinem redigendi, denique plane *immorigerum e familia eji- ciendi*.

§. XII.

*De offi-
cio ser-
vorum.*

Juri domini respondet obligatio atque officium servorum. Hoc autem in eo consistit, ut servi *operas debitas*, heroque *reverentiam* atque *obsequium*, quæ consensus in subjectionem vel tacite complectitur, exacte præstent. Atque hæc regula justî præcipit. Præterea vero regulæ honesti, decori, ac prudentiæ servis suadent, ut non solum servitia debita *sponte atque hilari fronte faciant*; sed & præterea *utilitatem heri* quavis occasione, quoad honeste fieri potest, *vel non jussi, promotum eant*. Hac enim agendi ratione amorem heri sibi conciliant, atque etiam commodis suis optime consulunt.

§. XIII.

*De officio
heri.*

At enim vero & dominus jure suo eum in modum uti debet, ne officii rationes negligantur. Est enim & hic *regula justî obligatus ad perpetuum victum & ami-*

amicium servo perpetuo præstandum; mercenario autem temporario ad ea, quæ contractu locationis conductionis ipsi promisit. Præterea ad ejusdem regulæ normam ita cum servo ipsi agendum, ne hujus jura comata, quibus non est renuntiatum, violet. Deinde *regulis honesti, decori ac prudentiæ obligatur* herus, ut pro cujusque viribus servitia ac ministeria distribuatur; a via recta aberrantes amicis primum mediis corrigere tentet, atque inprimis bono exemplo præluceat; itemque ut non nullos, ob singularia bene merita, majori præ ceteris benevolentia complectatur, præmiisque promeritis ita afficiat, ne virtutis ipsos tardium corrumpat, in ipsius heri detrimentum.

§. XIV.

Quibus ita constitutis, tandem con- *De jure*
cludimus, & servis utriusque generis jus *servo-*
quoddam proprie dictum, intuitu heri, *rum. 1*
esse tribuendum. Jus enim ipsis est *ad*
ea, quæ herum ex regula justis debere
ante demonstravimus. Quare evidens est,
violato hoc jure, *herum utique in servum*
esse injurium. (g) Quod v. gr. contin-
git,

(g) Male HOBBIUS *de Cive C. VIII. §. 7.*
nega-

git, si victum & amictum debitum, vel promissam mercedem deneget; nimia in servum savitia, usque ad sanitatis membrorumve corruptionem, aut vitæ plane interitum, utatur; si denique libertatem conscientia legitimam, & quæ sunt generis ejusdem, injuste pessundet. Quapropter, si immans sit heri savitia, nullum est dubium, quin *servus fuga sibi juste consulere*; aut domino, hoc injusta violentia prohibenti atque extrema minanti, vi etiam in subsidium vocata *resistere* queat. (b)

§. XV.

negavit, herum posse in servum esse injuriam; cum hic voluntati ejus ita se subjecerit, ut, quæcumque voluerit herus, & servus voluisse censendus sit. Qui enim alterius potestati se subjecit; licet ad perpetuam servitutem; immo licet extrema necessitate permotus; homo tamen manet, qui & jura, omnibus hominibus competentia, sibi facta tecta conservare voluisse intelligitur, licet diserte ea de re pactus non fuerit. Quæ enim per se patent, singulari pacto opus non habent. Conf. PUFEND. de J. N. ac G. cit. cap. §. 8.

(b) HOBBIUS *cit. cap. VIII. §. 4.* jus fugiendi,

§. XV.

Durum servitutis jugum variis modis *De mo-*
 licet evadere: 1) *manumissione*, qua he-^{dis sol-}
 rus servum consentientem e potestate ^{vendi}
 sua dimittit: 2) *ejectione* e familia, qua ^{fac. he-}
 dominus servum, vel invitum, iusta de ^{ril.}
 caus-

endi, dominoque resistendi tantum tribuit
 illis *servis*, cum quibus pactum non est;
 sed qui vinculis atque ergastulis, ut hostes,
 includuntur. Cui adstipulatur HUBERUS
de jure Civit. L. II. S. I. C. VI. §. 14. seqq.
 Ubi quoque existimat, *bello captis*, postea-
 quam pacto in servitutem sint redacti, sa-
 cultatem resistendi omnino esse denegandam;
 cum huic subjectioni *tacitum* intercedere
 pactum videatur, quo servus ad patiendum
 obligetur. Verum obligatio ad patiendam
 quamvis injuriam, extremamq; etiam saeviti-
 am, tanti est momenti, ut pacto deserto ad
 eam stabilendam opus mihi videatur.
 Quo deficiente, factum subjectionis, quoad
 hoc momentum, non tam est perspicuum,
 ut sine hæsitatione inde liceat concludere,
 juri resistendi, ac repellendi vel extremam
 injuriam, omnino esse renuntiatum. Lo-
 quor de *regula justitiae*. Nam alia deinde
 quaestio potest institui, quid servo *regulae*
bonestae, decori ac prudentiae suadeant. Hæ
 enim, pro ratione variorum momentorum,
 patientiam magis, quam violentiam com-
 mendabunt.

(5)

caussa expellit: 3) Si servus fuga sibi iuste consulat: 4) domino sine herede mortuo: 5) temporis lapsu: 6) morte servi. (i)

§. XVI.

Applicatio ad St. Nat.

Quæ hæcenus exposui de servis ac dominis, in statu naturali utique locum habent. In quo præterea contingere quoque potest, ut *integer populus* in servilem conditionem detrudatur. (k)

§. XVII.

Applicatio ad St. Civ.

In civitate autem summi imperantes jura dominorum statumque servorum specialius definiunt, caventque merito, ne potestate in servos heri abutantur. Quæ momenta specialia ex variis civitatum institutis optime addiscuntur, ac passim in juris prudentia civili exponuntur. (l)

PARTIS

(i) Conf. HOBBS. *cit. cap. §. 9. it. PUFEND. de J. N. ac G. cit. l. §. ult.*

(k) Exempla GROTIUS *L. II. C. V. §. 31.* suppeditavit, ibique TESMARUS. Conf. PUFEND. *de J. N. ac G. L. VIII. C. V. §. 1.* Dn. GUNDL. *J. N. C. XXI.*

(l) Conf. Dn. GUNDL. *J. N. C. XXXII.*

(a)

PARTIS SPECIALIS

SECTIO II.

DE JURISPRUDENTIA PUBLICA UNIVERSALI.

CAP. I.

DE

NATURA AC NEXU CIVITATIS.

§. I.

IN fine partis generalis jurisprudentiam ^{Conne-} naturalem diffinximus in privatam ac ^{xio; it} publicam. Posteaquam itaque secti- ^{descr.} one prima illius capita potiora exposu- ^{juris} mus, ordo poscit, ut tandem & in hanc ^{publ.} mentis aciem convertamus. Est autem ^{univers.} hic nobis jurisprudentia publica universa-
lis pars jurisprudentiae naturalis, qua nexus civitatis, iuraque atque officia imperantium ac subditorum explicantur. (a)

Y

§. II.

(a) Conf. Dn. BOEHMERI *ius publ. univers. part. gener. cap. II. seq.*

(b)

§. II.

Descriptio civitatis.

Civitas (b) est coetus multarum familiarum, sub communi imperio arctissimo nexu junctarum, communis potissimum securitatis ac sufficientiæ gratia...

§. III.

Finis.

Finem civitatis, ut ex descriptione patet, *communem securitatem ac sufficientiam* constituimus: quippe qui finis, extra consociationes civiles, multiplicato genere humano, obtineri amplius non posset. Neque alium finem legitimum, si rectæ rationis ductum sequimur, ostendere possumus; quamvis inficias ire nequeamus, sæpe Imperantes æque, ac subiectos alium habuisse scopum præfixum.

(c)

§. IV.

Qui plurimum requiritur conjunctio.

Qui finis ut obtineatur, consociatio plur-

Etiam.

(b) Homonymiam ac synonymiam civitatis explicat HERTIUS *in prudent. civili* P. I. S. II. §. 2. 3.

(c) Conf. HERT. *cit. l. S. IV.* Prima certe imperia a scopo aberrarunt, quippe quæ primario ambitionis atque avaritiæ expletionem intenderunt. Add. Dn. BOEHM. *cit. loc. part. spec. L. I. C. III. §. 3. 4.*

(d)

plurium familiarum utique requiritur. Certus autem definiri numerus vix potest. Quæ enim de *quindecim hominum numero* nonnulli in medium protulerunt, (d) inania profecto sunt somnia. Nec majoris sunt momenti quæ alii disputarunt, an *sive familis conjungi civitas queat.* (e)

§. V.

Ista autem, de qua diximus, plurium consociatio ut perficiatur, opus omnino *est pacis: sive violentia consociationi civili ansam dederit, sive placida multorum deliberatio.* Pacta requirunt *consensum: qui tamen & hic vel disertus esse potest, vel tacitus.* Oportet autem hic plures consensisse, ut una vivant, deinde ut commune imperium agnoscant, denique ut imperii formam designent. (f)

Qua ratione hæc perficiantur?

Y 2

§. VI.

(d) Nempe APULEJUS ac BODINUS. Vid. OBSERVAT. HALENS. SELECT. T. IX. *obs. I.* Ubi & aliorum errores refelluntur.

(e) Vid. e. gr. HUBERUM, qui *de jure civit. L. I. S. II. C. II. n. j.* contra BODINUM, questionem negantem, disputat. Sed cons. quæ Dn. THOMASIIUS ibidem annotavit.

(f) PUFFEND. *de off. H. ac C. L. II. C. VI. tit. de J. N. ac. G. L. VII. C. II.* Dn. BOEHM. *sit. J. P. V. Part. Spec. L. I. Cap. II.* (g)

§. VI.

De causa
impulsi-
ua
civita-
tum.

Juvat vero etiam in causam impulsi-
vam constitutarum civitatum inquirere.
Oportet enim homines singulari ratione
motos esse ad deserendam naturalem li-
bertatem. Quodsi finem civitatis prima-
rium, nempe communem securitatem a-
nimo volvimus, ac simul ponderamus,
quod supra jam ostensum, (g) statum
naturalem esse minus securum; non ma-
le profecto rationes subducunt, qui ad
mutuum metum hic provocant: (h) Quod
tamen ita deinde explicandum, ne *ambi-
tio* atque *avaritia* excludantur. Docet
enim historia, homines turbulentos, vaga
imperandi ac plura acquirendi cupidine
ductos, circumerrasse, aliosque sibi subje-
ctos violentia reddidisse. (i) Ex quibus
con-

(g) *Part. gen. cap. V. §. 6.*

(h) Ut HOBBIUS, PUFENDORFFIUS,
multique alii. Quam hypothesein & antiquis
arrisisse Philosophis, ex CICERONIS SE-
NECÆQUE scriptis, apparet. Vid. DN.
BOEHM. *ch. J. P. V. P. Spec. L. I. C. I. §. 10.*

(i) Originem primarum civitatum a violentia
repetiit potissimum BODINUS *de re-
publ. non uno in loco.* Et quamvis ipsum
non pauci refutarint; causam tamen ejus
defen-

consequitur, nec in statu integritatis republicas concipi posse; (k) nec præceptum legis naturalis causam impulsivam constitutarum primo civitatum fuisse; (l) nec homines natura in societates civiles ferri; (m) nec easdem naturali ac necessaria ex societatibus simplicibus consecutione ortas esse. (n)

§. VII.

Quibus ita expositis, natura atque in- *De indoles civi-*
 Y 3 *tatis.*

defendit FORSTNERUS *ad Tacit. Annal. p. m. 412. seq. et. Dn. THOMAS. Dissert. de content. mor. cum jur. script. §. 14-23. Conf. OBSERV. HALLENS. SELECT. Tom. VII. obs. 6. et. Dn. BOEHM. J. P. U. cit. cap. I. §. II. seqq. Conf. BARBEYR. ad Puffend. de J. N. ac G. L. VII. C. I. §. 7.*

(k) Quod tamen existimavit ALBERTI in *compend. J. N. P. II. C. XIV. p. 209. & BOECLERUS ad Grot. L. I. C. III.*

(l) Quæ BOECLERO quoque sententia hæsit.

(m) Qui ARISTOTELICORUM error fuit, refutatus jam HOBBSIO *de Civ. C. I. §. 2. PUFEND. de Off. H. ac C. L. II. C. V. §. 2. seqq. et. de J. N. ac G. cit. cap. §. 3. 4.*

(n) Ut non pauci censuerunt Politici *Vid. e. gr. HORNIVS de Civit. L. I. C. IV. §. 6. Conf. PUFEND. de J. N. ac G. cit. cap. §. 5.*

(o)

(o)

doles civitatis facile potest ostendi. Nempe hæc confociatio civilis ex pluribus personis *unam* efficit *personam* *moralem*, *unumque* corpus morale pluribus membris, uni imperio, velut capiti, subjectis, constans. Qui itaque ante libertate naturali gavisi sunt, post hanc subjectionem libertatis imminutionem patiuntur; nec amplius libero fruuntur arbitrio, faciendi ad sui conservationem, quod ratio in statu naturali permittit. Contra vero, qui imperio pollent in civitatibus, non solum libertate fruuntur; sed & jus ex pacto consequuntur, in communem reipublicæ salutem, media ad finem necessaria eligendi atque applicandi: cives autem oportet eundem in finem obedientiæ gloria eminere. (a)

CAP.

(a) *Jus libertatis ac jus imperii, quæ Imperantibus tribuimus, conjuncta quidem sunt, sed tamen distincta, diversoque modo exercenda. Conf. Dn. BOEHMERI cit. J. P. U. Part. Spec. L. I. C. IV. §. 1. seqq. Ubi & confusionem utriusque juris notat in subjectis, observationibus.*

(a)

DE MAJESTATE ATQUE OFFICIO IMPERANTIUM.

§. I.

JUS illud, quo imperantes in civitate in-<sup>Majestatis descri-
ptio.</sup>structos demonstravimus, Majestatis axiomatice exprimere solemus. (a) Est autem *Majestas summa potestas regendi civitatem cum omnibus suis partibus, in communem salutem.*

§. II.

Oritur majestas proxime ex pacto cum ^{Oritur} populo, libertati suae renunciante, ac sum-^{proxime} mum alteri imperium, seu majestatem, ^{ex pacto.} conferente. Atque hoc pactum est verum fundamentum, ex quo majestatem praecipue oportet affirmare. Cui enim ex pacto sive deserto, sive tacito, ipsum jus, vis ac potestas summi imperii competit, is & vera Majestate fruitur. Alia

Y 4

enim

(a) Summae potestatis civilis synonyma explicat HERTIUS in *elementis Prud. civil. P. I. S. VI. §. 2.* Nonnulli autem minus concinne vocabula jurisdictionis ac meri imperii, nimio juris Romani studio ducti, huc traxere. (b)

enim momenta, v. gr. administratio imperii, circuli, insignia, reliqua externa non raro incautos fallunt. (b)

§. III.

Appro-
bans
DEO.

Hæc tamen non obstant, quo minus & a Deo Majestas esse dicatur. Quæ enim hominum consensu ita constituuntur, ut ad totius humani generis felicitatem conducant, ea profecto Deus non potest non comprobare; (c) quamvis vitiosus constituenti modus, quo potentiores violentia injusta consensum aliorum in subjectionem extorserunt, eidem displicuerit. Qui autem Majestatem proxime a Deo constitui existimant, errorem certe produnt manifestissimum. (d)

§. IV.

(b) Conf. HERT. cit. Sect. VI. §. 13.

(c) GROTIUS de J. B. ac P. L. I. C. III. PUFENDORFIUM de J. N. ac G. L. VII. C. III. §. 2.

(d) Ante GROTIUM, HOBBIUM ac PUFENDORFIUM hæc fere constans plerumque opinio fuit. Quid? quod & inter ethnicos, qui imperio pollebant, omnem moverunt lapidem, ut, Deorum auctoritate id sibi proxime concessum esse, opere sacerdotum populo persuaderent. Ortis tandem inter summos Imperantes Christianos Pontificesque Romanos, jus confe-

rendi

§. IV.

Majestas, sive eam intuitu subiecto-
rum, sive intuitu exterorum considera-
veris, velut substantia quaedam moralis
constituitur; qualem oportet suas habere
proprietas atque affectiones.

De Maj-
estatis
affection-
ibus.

Y 5

§. V.

rendi Majestatem sibi vindicantes, dissidiis;
Laici primum in Gallia ac Germania do-
cuerunt, Majestatem proxime ab ipso sum-
mo Numine deferrī. Quae postea & ipsi
Cetero Pontificio amisit sententia: Nec defu-
ere inter Lutheranos, qui eidem favorunt,
eam valde salutarem reipublicae esse, mul-
tumque ad securitatem Imperantium face-
re, arbitrati. Quod imprimis demonstrat
MASII, Theologi, quondam Hafniensis,
tractatus de interesse Principum Evangel.
Cui tamen satisfecit Dn. THOMASIVS.
Vid. ejus Jurispr. div. L. III. C. VI. §. 66.
seqq. it. Fund. J. N. ac G. cit. cap. n. p. 10.
Conf. PUFEND. de J. N. ac G. cit. cap. III.
L. VII. §. 3. seq. it. BUDDEI tract. de con-
cordia relig. Christ. statusque civilis C. V. §.
5. seqq. p. 174. seqq. Duplici autem ratio-
ne haec passim doctrina proponitur. Non
nulli enim inter ipsam Majestatem ejusque
collationem distinguunt, ac Deum quidem
proximam ipsius Majestatis causam pro-
nuntiant; simul tamen fatentur, eam inter-
cedente populi consensu certo subiecto con-
ferri. Sic cum aliis docuit CONRINGI-

US

§. V.

Ex summa, Primo eam oportet esse, summam; seu nemini mortalium ita obnoxiam, ut imperans ad rationes gesti imperii sanctione poenali sit adstrictus; vel ejusdem actus ab aliis pro imperio possint irriteri declarari. Est enim mera contradictio, Majestate pollere, ac nihilo minus, instar subiecti civilis, eo, quem indicavi, modo ab aliis pendere.

§. VI.

2) *una,* Præterea ut regularis sit reipublicæ status, una esse debet Majestas, unum subiecto, sive physico, sive morali, indivisa atque indivulsa inherens. Minus enim rationi convenit, unum corpus civile pluribus regi capitibus, potestate civili inter se divisa gaudentibus; quippe quo rerum statu salutem Reipublicæ parum consulitur, motibusque intestinis inter plures ejusmodi coimperantes oriundis via paratur.

§. VII.

US de Majestate civili, §. 14. Alii vero eo usque errore trahuntur, ut statuant, & proxime a Deo majestatem conferri, populumque designare tantum speciale subiectum, cui illa divinitus quasi infundatur. Quem stupendum errorem tuetur etiam HORNIUS de civitate L. II. C. I. (6)

§. VII.

Porro & perfecta sit Majestas necesse est, ^{(3) perfecta}
 Unde consequitur, (1) Imperanti tribu-
 enda esse cuncta jura majestatica; ad sa-
 lutem reipublicæ necessaria; neque quem-
 quam exterorum, ne quidem sub obtentu
 sacri imperii, (2) ullum eorum, excluso
 legitimo Imperante posse in hujus civita-
 te exercere. (2) Summam Imperantis
 potestatem cuncta complecti, quæ civi-
 tate continentur, siue sint bona, siue acti-
 ones subjectorum externæ; in quantum
 nempe legitimus civitatum finis eorum
 moderamen requirit. (3) Imperantem
 debere facultate pollere, civium liberta-
 tem tum magis circumscribendi; tum
 laxandi, si necessitas, vel utilitas repu-
 blicæ hoc, vel illud jubeat. (4) Sum-
 mam tamen potestatem non ulterius esse
 extendendam, quam legis naturalis prin-
 cipia, ac speciatim finis civitatis, aut pa-
 cta fundamentalia permittunt.

§. VIII.

Denique & ratio dicitur, Majestatem ^{(4) sancta}
 sanctam ^{at-}
 que in-
 violabi-

(4) Quale Pontifex Romanus adfectat, cum
 insigni civitatum ipsi obnoxiarum detri-
 mento.

sanctam omnino esse atque inviolabilem.

Id quod finis civitatum primarius, communis nempe securitas, luculenter requirit. Hæc enim nulla ratione defendi posset, si civibus permiffum foret, ob læfiones, ab Imperante sibi illatas, in hunc armis insurgere. (f) Quod si autem auctoritate judiciali, ad eundem coercendum, injuriarumque vindicandam, uti vellet, ex summo Imperante redderetur subjectus civium, quæ stupenda foret contradictio.

§. IX.

*Error
Monar-
choma-
chorum.*

Quæ cum ita sint, quam luculentissime patet, detestandum esse Monarchomachorum dogma, quo Imperantes populi iudicio subjiciendos, censuerunt; distinctionem inter Majestatem realem ac personalem perperam inventa, quarum illam populo, hanc Principi tribuerunt. Civibus enim, qui summo Imperanti in omnibus;

(f) Hæc est regula. Utrum vero per modum exceptionis a regula subjectis liceat, ab injuriis Imperantium vi se defendere? eam infra definiemus quæstionem, *cap. de officio ac jure civium.*

(g)

bus, quæ ad salutem reipublicæ pertinent, se submiserunt, nulla profecto competere Majestas potest. Nec summorum Imperantium Majestas isto axiomaticè digna foret, si a superiore populi potestate penderet. (g)

§. X.

Quas autem in præcedentibus demonstravimus, Majestatis affectiones intelligendæ tantum sunt de illis, qui legitimo pollent imperio. Violentis enim invasoribus atque usurpatoribus potestatis civilis, quam diu tales sunt, quin jure resisti queat, nullum cuiquam, recte rationes subducenti, dubium superesse potest. (gg)

§. XI.

(g) Præcipuos auctores, qui pro Monarchomachis habentur, eorumque scripta recenset Dn. BUDDEUS in *hist. jur. nat.* §. 52. Conf. *historia sectæ Machiavellistarum & Monarchomachorum* in OBSERV. SELECTIS HALLENS. T. VI. obs. I. GROTIUS de *J. B. ac P. L. I. C. HI.* §. 8. 9. PUFEND. de *J. N. ac G. L. VII. C. VI.* §. 3. seqq. Negari tamen nequit, universum nonnunquam populum Majestate vera pollere; quod a singulari civitatis forma, inferius explicanda, oritur.

(gg) PUFEND. de *J. N. ac G. L. VII. C. VIII.* §. 8. seqq.

(b)

§. XI.

*Maje-
stas alia
absolu-
ta, alia
limita-
ta.*

Neque ea, quæ de summa Imperantium potestate diximus, ullo modo obstare possunt, quominus Majestas certis obligationibus, quæ subjectionem proprie dictam non involvunt, possit circumscribi ac temperari. Quare & majestas recte distinguitur in absolutam, quando Imperantes *solo suo arbitrio* civitatem regunt; ac limitatam, quando imperii administratio *ad certas leges*, quas vocant, *fundamentales* est adstricta. (b)

§. XII.

*Utrum
vasallus
gaudeat
Majesta-
te?*

Unde etiam consequitur, Imperantem, qui nexu beneficiario alteri ad singularem fidem est obligatus, nihilominus Majestate posse gaudere, cum nec istud vinculum mox subjectionem civilem involvat. (c)

§. XIII.

*An cli-
ens?*

Idem & de inæqualiter foederato dicendum, qui in potentioris clientelam cum sua civitate concessit, atque Protectoris Majestatem comiter tenetur colere

ac

(b) Quæ de re specialius dicitur infra, capite de varia rerum publicarum forma.

(c) GROT. L. I. C. III. §. 29. it. L. II. C. VI.

§. 9.

(k)

ac revereri, modo ne foedus conjunctum sit
cum immixtione imperii. (k)

§. XIV.

Nec aliter pronuntiandum de Imperante, *An irrite,* qui certum quid alteri pensitat, aut ad *busario*
redimendas vexas, aut ad tutelam *is?* all-
quam comparandam. Quia nec ejus-
modi tributum, in se spectatum, imperan-
di potestati quidquam demit. (l)

§. XV.

Majestatem varie solent distinguere. *Distin-*
Nam (1) aliam esse absolutam, aliam li- *ctio ma-*
mitatam, in precedentibus est ostensum. *jestatis.*
Præterea vero (2) alia regularis audit,
alia irregularis. (3) Alia ordinaria, a-
lia extraordinaria. (4) Alia usufructu-
aria, alia patrimonialis. (5) Alia perpe-
tua, alia temporaria. (m)

§. XVI.

Majestas regularis est, quæ integra uni *Quæ re-*
subjecto, sive physico, sive morali inha- *gularis,*
ret; irregularis autem, quæ inter plures *vel irre-*
est divisa ac divulsa. *gularis?*

§. XVII.

(k) GROTIUS, L. I. C. III. §. 21. it. C. XV. §. 7.

PUFENDORF, L. VIII. C. IX. §. 4.

(l) GROTIUS, L. I. C. III. §. 22.

(m) Conf. HERTZ, elem. prud. civ. P. I. S. VI.

§. 4. seqq.

(n)

§. XVII.

Quæ or-
dinaria,
vel ex-
traordi-
naria?

Majestas ordinaria dicitur, quæ versatur circa negotia status ordinaria; ea vero potestas, qua Princeps ob singularem Reipublicæ necessitatem, vel utilitatem, in res, jura atque actus subjectorum, ultra modum solitum, utitur, Majestas audit extraordinaria. (n)

§. XVIII.

Quæ u-
suf-
fructuaria,
vel pa-
trimoni-
alis?

Usufructuariam appellant majestatem, quando quis imperio præest civitati, quo in dies vitæ tantum uti potest, sine facultate alienandi; (o) Patrimonialem autem quan-

(n) GROTIUS de J. B. ac P. L. I. C. I. §. 6. vocat *jus eminentis*, quod continet dominium eminentis, de quo pluribus infra agendum.

(o) Tertium tamen comparationis hic accurate observandum. Neque ex ista appellatione concludendum, populum intuitu majestatis pollere *jure proprietatis*, Principem vero tantum *jure usufructus*. Quare & alii *f. luciatum* vocant ejusmodi imperium, comparatione desumpta a *jure*, quo heres fiduciarius gaudet in hereditate, post mortem ipsius fidei commissario relinquenda. Nonnulli imperium, quod usufructuarium vulgo dicitur, cum *dominio revocabili* comparant. Vid. HUBER. de *jure civit.* L. I. S. III. C. II. n. 24. seqq.

(p)

quando Imperans facultate dividendi atque alienandi regni, deque successione pro arbitrio disponendi pollet. (p)

2

§. XIX.

(p) Patrimonialis majestas sine pacto singulari, eoque deserto, cum populo concipi nequit. Quare summopere deceptus est HOBBIUS, qui non uno in loco absolutam Monarchæ sui potestatem eo usque extollit, ut ei in universum quoque liberrimam de imperio disponendi facultatem largiatur. Quo ipso fundamentum distinctionis supra explicatæ omnino est rejectum. Eandem tamen distinctionem, (quam GROTIUS de J. B. at P. L. I. C. III. §. 12. seq. it. L. II. C. VI. &c. primum stabilivit, PUFENDORFIUS vero aliique repetierunt,) nonnulli alia de causa in dubium vocant. Sunt enim, qui existimant, post pactum *Aegyptiarum cum Pharaone*, exemplum regni patrimonialis genuinum haud extare; adeoque ob defectum exempli, eam de qua sermo est, distinctionem, nullius esse momenti. Alienationes autem imperiorum, Grotio aliisque adductas, aut effectu caruisse, aut consensu populi fuisse susceptas, aut etiam vi magis, quam jure fuisse defensas. Vid. Dn. COCCEJI *dis. de Testam. Princip. C. II. it. THOMAS. ad Huber. de jure civit. tit. cap. n. 19. lit. (k) p. 69. seq.* Interea tamen Dn. GUNDLINGIUS in J. N. C. XXXVI. §. 24. ad exemplum *Imperatorum Sinarum* provocat, atque

§. XIX.

*Quæ
perpe-
tua, vel
tempo-
raria?*

Perpetuam denique Majestatem vo-
cant, quæ alicui per integrum vitæ spati-
um competit; temporariam autem, quæ
certi temporis intervallo finitur. *Utrum*
autem hæc veræ Majestatis axioma te di-
gnafit, ea adhuc sub judice lis est. Verum
cum ad naturam Majestatis duratio pro-
prie non faciat; quamvis splendorem ejus
reddat illustriorem; consequitur profe-
cto, & Monarcham temporarium maje-
state posse pollere, dummodo cetera, quæ
supra exposuimus, momenta in ipso de-
prehendantur. (9)

§. XX.

que hos non tantum e domo regnatrice,
quem volunt, futuro imperio destinare; ve-
rum etiam, si dignus in ea non reperitur,
alium e suis successorem pro lubitu nomi-
nare posse, testatur. *Rufforum Imperatori*
eandem nonnulli tribuunt potestatem; quæ
tamen forte altioris adhuc est indaginis.

(9) BODINUS *de republ.* ejusque sectatores
negant, summam potestatem certo includi
posse tempori. GROTIUS autem *de J.*
B. ac P. L. I. C. III. §. II. in contrariam ivit
sententiam, *dictatores Romanos* hæc tra-
hens. Quod quidem factum non fuisse
optavit BOECLERUS *ad cit. locum*, nec
non PUFEND. *de J. Nat. G. L. VII. C. VI.*

§. 15.

§. XX.

Majestatis finis est idem, quem civita-^{Finis}
tis esse paullo ante demonstravimus: ^{majesta-}
nempe communis securitas atque suffici-^{tis.}
entia.

§. XXI.

Quare & officii ratio ab Imperante u-^{De offi-}
tique poscit, ut hunc finem præfixum ha-^{cio im-}
beat, atque ad eum consequendum, ea, ^{peranti-}
qua pollet, potestate, pro viribus utatur.
Summa vero officii, de quo agimus, hoc
præcepto legis naturalis continetur: *St-*
ius

§. 15. Quibus tamen respondet HERTI-
US *in elem. prud. civil. tit. S. VI. §. 8. p.*
128. seq. it. in not. ad cit. locum Pufendorffii.
DIONYSII HALICARNASSEI, POLY-
BII, CICERONIS, aliorumque testimo-
niis fretus; quibus facile posse demonstra-
ri existimat, vere summam fuisse Dictato-
rum potestatem. Quæ & de tutoribus re-
gni in medium protulit GROTIUS *cit.*
loc. ut ut dicam eo nomine ipsi scripserint
BOECLERUS, ZIEGLERUS alique;
non de quibusve, sed de iis tantum tuto-
ribus, qui summam a populo potestatem
acceperunt, intelligenda esse, ostendit, rem-
que etiam exemplis illustrat ante laudatus
HERTIUS. Conf. TESMAR. *ad Groc.*
tit. 1.

(r)

lus communis suprema lex esto. Quod præceptum non solum regulæ honesti, decori ac prudentiæ commendant; sed & regulæ justæ adversatur Princeps, atque in populum est injurius; (r) qui salutem communem flocci facit. Jus autem, quo populus hic gaudet, ex *pactō discreto* vel *tacito* est derivandum. *Præ* adest, quando Imperanti certæ leges, quas vocant, fundamentales proponuntur, ad quarum normam ipsi salus communis est promovenda. Quibus deficientibus, *posteriorius* ex fine reipublicæ, ipsaque imperii acceptatione manifesto satis colligitur. Populus enim, Imperantem sibi constituens, eique majestatem tribuens, salutem communem, quam ratio quærere jubet, eo ipso quoque intendisse facile intelligitur, ut ut nihil ea de re discrete enuntiaverit. Nec minus Imperantis est, ductum rationis sequi, atque in acceptatione imperii legitimum istum finem præfixum habere.

(r) Profligandus itaque error eorum, qui nullam subiectis ab imperante injuriam fieri posse statuunt cum HOBBSIO *de cive cap. VII. §. 14. aliique.* Conf. PVFEND. *de J. N. ac G. L. VII. C. VIII. §. 2. seqq.*

bere. Unde consequitur, ipsa illa acceptatione imperii, velut facto obligatorio maxime perspicuo, eundem ad communem salutem pro viribus conservandam sese adstrinxisse; si vel maxime diserta promissio deficiat. Neque sinistra imperium suscipientis intentio, negotii scopo zque, ac ipsi rationi adversa, quidquam operari potest, ut a legitima obligatione immunis præstetur.

§. XXII.

Quibus ita demonstratis, paucis quoque de partibus summi imperii est agendum. Non enim recte videntur rationes subducere, qui adeo indivisibilem pronuntiant majestatem, ut partibus eam carere opinentur; cum tamen majestas denotet plurimum imperii jurium complexum, atque sit totum aliquod morale compositum, suis utique constans partibus, quæ jura majestatica vocantur. (s) Quas quidem partes, ut regularis sit reipublicæ forma,

Z 3

forma,

(s) Dicuntur etiam *regalia*. Quæ tamen vox multiplici atque ambigua Jurorum interpretatione maximopere contorqueri coepit, rectissime observante HERTIO in *elem. prud. civ. P. I. S. VI. §. 17. Conf. ZIEGL.*

forma, arctissimo nexu in eodem subjecto oportet esse conjunctas. (t)

§. XXIII.

Unde cognoscantur jura imperii?

Ceterum, quænam sint istæ partes, quænam ista jura imperii, & qua ratione demonstrantur, ea de re non omnes consentiunt. Nonnulli ad DEI potestatem provocant, atque inde humanæ potestatis, quæ majestatis divinæ vices in terris subeat, mensuram minus circumspecte capiunt. (u) Hi vero, uti ex primo falso, quod majestas proxime a Deo oriatur, ratiocinati sunt; ita præterea non cogitarunt, summi numinis potestatem is homines esse omnino infinitam, qualem imperantibus nostris sine manifesta falsæ ratiocinationis late tribuere nequimus.

Atten-

ZIEGL. de juribus majestaticis, aliique, qui hoc thema ex instituto pertractarunt: SIXTINUS, BOCERUS, ab EINSIDEL, de JEHNA, reliqui, cum grano salis evolvendi.

(t) Conf. PUFEND. de O. H ac C. L. II. C. VII. it. de J. N. ac G. L. VII. C. IV.

(u) Velut HORNIUS de Civit. L. II. C. IV. §. 20. aliique. Quibus recte dicam scripsit HERTIUS jamjam cit. loc.

(*)

Attendendum itaque ad finem civitatis ac majestatis legitimum, quem ante indicavimus, nempe securitatem ac sufficientiam. Quæcunque enim ad hunc finem obtinendum conducunt jura, ea ad partes majestatis recte referimus.

§. XXIV.

Jura autem imperii, quæ hunc in finem ^{Distin-} ab Imperante usurpantur, vel ^{ctio eo-} in ipsos sub-
jectos intra fines civitatis exercentur; vel ^{rum.} extra fines nostros cum aliis Principibus rebusque publicis. Illa dicimus jura majestatica immanentia; hæc transeuntia.
(x)

§. XXV.

Ad immanentia referimus 1) pote- ^{De im-} statem legislativam; 2) jus constitu- ^{manen-} endi ministros, magistratus inferiores at- ^{tibus.} que officiales; 3) potestatem judicariam; 4) jus distribuendi præmia ac poenas; 5) jus in existimationem atque honores
Z 4 civi-

(x) Distinctionem regalium vulgarem in majora ac minora, velut obscuram ac nullius usus negligimus. Vid. Dn. THOMAS, ad Huber. de jure civitat. L. I. S. III. C. VI. lit. (x) Conf. SCHEFFERI, Prof. Tub. dissert. de regalibus nupestine editam.

civium; 6) jus in bona civium; 7) jus in collegia civitatis; 8) jus circa sacra & studia.

*De
trans-
euntibus.*

§. XXVI.

Transeuntium classe complectimur 1) jus belli; 2) jus pacis; 3) jus foederum; 4) jus legationum.

CAP. III.

DE POTESTATE LEGISLATORIA.

§. I.

Descriptio.

Ordinem itaque ante indicatum sequuntur, primo loco de potestate legislativa agimus: quæ est *legitima facultas, summa Imperanti competens, subiectis præscribendi normam, ad quam horum actiones in salutem civitatis componendo.* Qualis norma legis civilis nomine venit.

§. II.

Necessitas.

Quemadmodum autem normæ necessitatem in universum supra jam demonstravimus: (a) ita & legum civilium necessitas

(a) Part. I. C. II.

(b)

fitatem facile possumus ostendere. Quoniam enim tanta est non paucorum mortalium corruptio, ut sola lege naturali, metuque poenarum divinarum, transgressionem illius manentium, in ordinem haud redigantur; necesse profecto est, ut Imperantes legibus civilibus tum jus naturale confirment, tum multa negotia specialius definiant, licentiamque subditorum aëstioribus vinculis constringant.

III.

Hac potestate gaudent duntaxat *legitimi imperantes*. Cives enim suam voluntatem in negotiis, ad salutem civitatis facientibus, imperantium voluntati submiserunt. Utrum autem soli imperantes, an vero non, nisi *civium consensu* muniti leges condant, ex peculiari cujusque republicæ statu est dijudicandum. (b) In universum autem consensus populi in leges civiles non requiritur.

Cui competit hac potestas.

Z 5

§. IV.

(b) Dicendum hic de modo condendi leges, qui apud Romanos, tempore liberæ reipublicæ, obtinuit. Addenda quædam de Germania nostra, Anglia, Polonia &c.

(c)

§. IV.

*Exerce-
tur l.
immedi-
ate l.
mediate.*

Ceterum non solum ipse Imperans hanc potestatem proxime seu immediate, ut loquuntur, potest exercere, sed & mediate. Quod posterius contingit, 1) consuetudines, quæ longo usu invaluerunt, approbando; 2) legibus peregrinis vim obligandi indulgendo; 3) quando judicia nonnulla, vel collegia Ictorum tanta auctoritate instruxit, ut sententiæ ac responsa eorum instar legum valeant; 4) quando civitatum municipalium collegiorumque statutis vim legum tribuit.

§. V.

*De par-
te dispo-
sitiva.*

Perfectæ cujuscunque legis duas esse partes, supra jam ostendimus: (c) unam dispositivam, alteram vindicativam, seu sanctionem poenalem. Id quod jam ad leges civiles specialius applicandum. Pars autem definitiva legum civilium continet *normam ipsam seu regulam*, subjectis voluntatem imperantis *de agendis atque omittendis* explicantem. Regula cuiusmodi aut *naturalis* est, novo imperantis præcepto illustrata, munita, confirmata;

(d)

(c) P. I. C. II. §. 9.

(d)

(d) aut *positiva*, seu arbitraria, quæ specia-
liori significato lex civilis audit.

§. VI.

Cum autem sola norma, quæ multo-
rum hominum est malitia, ad finem con-
sequendum non sufficiat; sanctione pœ-
nali legibus ab Imperante latis pondus
est addendum, terrorque immorigeris
incutiendus, ut sciant, se impune leges
non esse violaturos. Quæ vel *generalis*
est, pœnæ comminationem indefinitam
continens; vel *specialis*, hoc, vel illud
pœnæ genus, v. gr. pœnam nullitatis,
corporis afflictivam, capitalem, pecunia-
riam, & quæ sunt generis ejusdem alia,
speciatim dicitans. Generalis, quamvis
non exprimatur, omni tamen lege *tacite*
continetur.

Do san-
ctione
pœnali.

§. VII.

Versantur leges civiles circa *subjec-
tum*, sive perpetuorum, sive temporario-
rum *actiones*, quatenus sunt voluntatis mo-
tus externi, atque nexum cum fine civi-
tatis habent. Uti enim *intellectus opera-*
tio-

De obje-
cto le-
gum ci-
viliū.

(d) Qualis regula dicitur *lex civilis*, non ra-
tione originis, sed auctoritatis.

(e)

*tion*es legibus non subsunt: ita nec *inter-*
nos voluntatis impulsus licet legibus civi-
 libus in ordinem redigere: neque talia fi-
 nis rerum publicarum requirit. Respi-
 ciunt quoque ordinarie actiones *futuras*; &
 cum *præteritis* norma statui vix queat.

§. VIII.

De obli-
gatione
carum.

Leges civiles, tam generales, quam
 speciales, rite conditas atque in notitiam
 subjectorum deductas, hos utique obliga-
 te manifestum est. (e) Cum enim jus
 ferendi leges imperans ipso consensu
 subjectorum acceperit; necesse quoque
 est, ut isti juri horum respondeat obliga-
 tio. Utrum autem hæc tantum externa
 sit, *an vero etiam interna*, quæritur ac dis-
 ceptatur. Mihi distincte respondendum
 videtur. Ipse *imperans* obligationem in-
 ternam

(e) Modo non repugnent manifesto legis na-
 turalis præcepto. Alias enim nullum est
 dubium, quin DEO magis obediendum,
 quam hominibus. Quod vero HOBBS.
de cive C. XIV. §. 10. existimat, *impossibile*
 esse, lege civili quidquam juberi contra le-
 gem naturæ, oppido est falsissimum. Conf.
 PUFEND. *de J. N. ac G. L. VIII. C. I.*
 §. 2.

(f)

normam optare quidem potest; non vero civibus imperare; cum hanc nec finis civitatis requirat, nec imperii auctoritate liceat inculcare. Hic itaque acquiescere debet, modo cives actiones externas, reluctante licet intra pectus voluntate, ad normam componant. *Subiectos* autem, quibus legis naturalis auctoritas currit est cordique, utique decet, leges etiam civiles interno cordis adfectu amplecti. Secus qui faciunt, non quidem iniusti sunt, in regulam tamen honesti ac decori omnino impingunt.

§. IX.

Qui potestate leges ferendi pollet, jure ^{Jura} quoque gaudet, leges obscuras pro imperio, ^{conjun-} ^{cta pot.} ^{legislat.} *facti authenticæ, interpretandi; item que dispensandi; nec non privilegia largiendi; ac denique leges in universum mutantib;* ita, ut vel discrete contraria edicat, vel eas in consuetudinem abire permittat. (S)

§. X.

Exposito imperantium jure, quantum ^{Que hie} ad leges civiles attinet, nec omittendæ ^{impe-} ^{rantis} ^{sunt} ^{officia.}

(S) Quæ mutatio tacita etiam intelligitur, mutato reipublicæ statu. (C)

sunt officii rationes: Qui enim in verum reipublicæ detrimentum, aut neglectis omnino legibus fundamentalibus potestate legislativa abutuntur, *in regulam justæ impingunt.* (g) Præterea *regula honesti, decori ac prudentiæ* hic non nulla præcipiunt. Ad ductum quippe illarum primo ea ratione ferendæ leges, ut obsequium facile possit obtineri. Cavendum itaque, ne statui reipublicæ genioque populi sint adversæ, ac reprimendis vitiis parum aptæ, aut in superfluis minusque utilibus occupentur, aut peregrinitate, prolixitate, obscuritate, multitudine, futicitisquæ prologis ac ratiociniis ardeant. Præterea nemo temere a legum obligatione eximendus, nec privilegia facile concedenda, legesve omnino mutandæ. Denique consultum est, ut imperantes, quantum fieri potest, ipsi ad leges a se latas actiones instituant, cum Regis ad exemplum totus fere orbis componatur.

CAP.

(g) Conf. quæ demonstravi *cap. præced.*

§. 27.

(a)

CAP. IV.

DE

JURE CONSTITUENDI MI-
NISTROS, MAGISTRATUS AT-
QUE OFFICIALES IN-
FERIORES.

§. I.

Quoniam imperii moles tanta est, ut *Ejus ne-
cessitas.*
soli eam ferre summi imperantes
nequeant, necesse profecto est, ut ministri
atque inferiores constituentur magistra-
tus variique officiales, qui in sustinendis
imperii oneribus auxilio esse queant.

§. II.

Supremum vero jus, constituendi ejus- *Cui commo-
petat?*
modi ministros ac magistratus atque offi-
ciales, uti omnino summo imperanti vin-
dicandum: ita tamen & pro reipublicæ
statu, civibus jus aliquod dependens pot-
est esse quæsitum, eligendi, præsentandi
aliave ratione in constituendis quibusdam
magistratibus atque officialibus concur-
rendi.

§. III.

Vi supremi illius, quod indicavimus, *Jus im-
juris perante*

Specialis - *us ex-*
plic. juris summus imperans non solum pote-
state gaudet, volentes ad ejusmodi mune-
ra promovendi, sed &, si necessitati atque
utilitati publicæ conducit, vel invitos
cogendi; quædam etiam jure heredita-
rio concedendi; alia idoneis vendendi;
officialibus non solum ordinariæ, sed &
extraordinariæ negotia committendi;
non solum indigenas, sed & peregrinos ad-
mittendi, nisi leges obstant fundamenta-
les; denique & magistratus atque officia-
les, ceteris paribus, suspendendi atque o-
mnino removendi.

§. IV.

De offi-
cio Im-
peranti-
um.

Ut vero ad ductum rectæ rationis &
hac potestate Imperantes utantur, nec hic
officii rationes sunt negligendæ. *Regula*
justi itaque obligantur, ne contra leges
fundamentales, aut in verum reipublicæ
detrimentum Ministros, Magistratus atque
officiales inferiores constituent, aut tale
quid haud promeritas contra fidem datâ
postponant, aut ab officiis removeant.
Præterea regula honesti, decori ac pruden-
tia præcipiunt, ut magis fidi, magisque
idonei, meritisque majoribus eminentes,
aliis præferantur; ut a muneribus cum
digni-

dignitate præcipuoque honore conjunctis viliores & sordidi homines arceantur; ne tamen ingenui, virtutibus præstatites, licet genere non nobiles, nec opibus abundantes, temere postponantur; ut indigent, si cetera recte se habeant, peregrinis præferantur; ut ætatis, temperamenti, geniique discrimen, pro ratione officiorum, caute ponderetur; ne justo plures, neve pauciores constituantur ministri ac magistratus; ut per gradus ad munera ac magistratus cives evehantur; ut ad declinandam invidiam inter plures idoneos electio nonnunquam sorte temperetur; ne munera ac magistratus temere vendantur; ut sua quidem ministris ac magistratibus concedatur conserveturque auctoritas; ne tamen in ipsam Imperantium aut reipublicæ perniciem, modum excedat; ut illis, qui a consiliis sunt, facultas libere sententiam dicendi concedatur; ut in muneribus publicis crebrior quidem personarum mutatio vitetur; nec tamen officia, quæ multum auctoritatis atque imperii continent, cum periculo civitatis temere in perpetuum concedantur; denique ne fidi atque idonei mini-

A a

stri,

stri, magistrarus atque officiales, licet singulari ex pacto jus ipsis non sit (a) quaesitum, temere dimittantur.

CAP. V.

DE POTESTATE JUDICIARIA.

§. I.

Necessitas judiciorum.

AD conservandam reipublicæ tranquillitatem nihil magis est necessarium, quam ordo judiciorum; quo controversiæ subjectorum cognoscuntur, ac sententia ad normam legum concepta definiuntur, accedente, ubi opus fuerit, violenta illius executione. Si enim cuique libera in civitate facultas concederetur, sibi ipsi jus dicendi; communis securitas non posset non infinitis modis turbari.

§. II.

Quis ea constitutus?

Unde concludimus *summo Imperanti,*
cui

(a) Hoc enim si fuerit, injuria proprie dicta afficerentur ejusmodi dimissione; quod & contingeret, si ignominiosa usurparetur remotio, non honesta duntaxat dimissio.

(a)

cui communis tranquillitas curæ cordi-
que esse debet, legitimam quoque hunc
in finem esse potestatem, judicia constitu-
endi, eademque juris dicendi facultate
subordinata instruendi. Fieri enim non
potest, ut Imperans summam, quæ pollet,
juris dicendi potestatem ipse per omnes
reipublicæ tractus, atque in omnibus sub-
jectorum controversiis proxime exerceat.
Pro singulari tamen reipublicæ statu in
constituendis judiciis *civæ certa nonnun-*
quam ratione concurrere posse, nullum
cuiquam dubium esse potest.

§. III.

Hæc summi Imperantis potestas judi-
ciaria jus quoque complectitur, consti-
tuta judicia certis limitibus circumscri-
bendi; certos ipsis tractus certasque
causas, boni ordinis gratia, adignandi;
alia aliis subordinandi; ordinem judi-
ciorum præscribendi; supremam vero et-
iam juris dicendi potestatem sibi certam
ubique tectamque conservandi atque
adeo & extra ordinem certas causas ju-
dicibus delegatis committendi; acta à
judicibus inferioribus avocandi; que-
las denegatæ justitiæ appellationisque

audiendi, nec consententias judicum inferiorum reformandi; denique ob singularem reipublice salutem nonnumquam legum civium auctoritatem negligendi, atque eam, quam hæc jubent, sententiam pro imperio pronuntiandi.

§. IV.

*Confe-
ctaria.* Quibus ita demonstratis, consequitur, I) magistratus inferiorem non suo jure, sed potestate duntaxat delegata, ac nomine summi Imperantis, jurisdictionem exercet; 2) neminem civium sibi ipsi juris dicendi facultatem sumere posse; sed quemlibet concessione Imperantis indigere; 3) neminem quoque hanc facultatem, sine summi Imperantis consensu, in alios posse transferre; 4) non contemnendam esse magistratuum inferiorum auctoritatem; 5) eum, qui in aliquo territorio supremam potestatem judicariam suo jure ac nomine exercet, non esse magistratum inferiorem proprie dictum; sed coimperantem, licet, ob fœderis systematis nexum, inæqualem; 6) in bene ordinatis civitatibus subiectos non polle-
re facultate, sibi ipsis jus dicendi, controversiasque suas, vi in subsidium voca-
ta,

ta, decidendi; 7) in casu tamen necessitatis, ubi periculum in mora est, copiaque judicis haberi non potest, vel judiciorum cursus turbulento reipublicæ statu omnino est interruptus, licitam utique esse violentam sui furumque defensionem; 8) integrum ordinarie esse subjectis, controversias suas, quibus de privato duntaxat commo disceptatur, amica non solum compositione, sed & conventionali arbitrorum sententia finiendi.

§. 7.

Quantum ad officium Imperantis attinet, si ad *regulam juri* respicimus, eadem hic repetenda, quæ ante inculcavimus, nempe suprema potestate judiciaria Imperanti nec contra legum fundamentali-um normam, nec, illis licet deficientibus, in manifestum reipublicæ detrimentum, singulorumque civium oppressionem esse abutendum. Præterea *regulis honesti, decori ac prudentiæ* potissimum obligatur, ut planum non minus, quam brevem, quoad commode fieri potest, controversias finiendi modum atque ordinem præscribat, missis tricis subtiliori-

De officio Imperantis.

bus noxiisque abagibus; ut caveat, ne nimii sumtus inites sint impendendi, neve pauperibus ad justitia sibi denegata querendi necessitas imponatur; Porro Actorum responsa aequae consilia prudenter usurpanda; controversiae magni momenti, & e quibus republicae aliquod periculum immine, non temere judicium inferiori permittenda; provocationum denique usus praeter temperandus. (*)

CAP. VI.

DE JURE POENAS AC PRAEMIA DISTRIBUTI.

§ I.

Necessitas juris puniendi.

Quoniam supra iam necessitatem sanctionis poenalis demonstravimus; inde quoque facillime ad juris puniendi necessitatem possumus concludere. Quid enim quaevo jure, legibus in terrorem subjectorum sanctionem poenalem adjecisse,

(*) Conf. Dn. THOMAS. *commentar. ad Testamentum Dni. ab Offo.*

cisse, nisi hæc in actum unquam foret deducenda pœnaque in transgressores statuenda?

§. II.

Pœna autem hic denotat quævis incommoda, (a) quibus subjecti ob delicta (b) afficiuntur a superiore, qui imperio in ipsos pollet. (c)

Pœna descriptio.

§. III.

Jus itaque pœnam infligendi ad eos duntaxat spectat, qui justo in alios imperio sunt instructi. Quemadmodum enim hi legitima gaudent potestate, leges, in utilitatem communem servandas, subjectis promulgandi: ita quoque rationem, quare quis subjectorum leges violaverit, poscere, ac transgressionem pœna vindicare possunt. Cui vero leges ferendi fa-

Jus puniendi est pars imperii.

A a 4 cultas

(a) Quæ vulgo per *malum passionis* in descriptione exprimuntur, cum GROTIUS, vocabulo late accepto, ita, ut & actiones molestas complectatur.

(b) Quod *malum actionis* vulgo vocant.

(c) Ultimùm hoc momentum eo magis inculcandum, quo facilius, hoc neglecto, in errorem mox notandum incidimus.

(d)

cultas non est; is profecto nec nullo, nisi a legislatore sibi concessio, jure gaudet, contentum illarum pœnis coercendi. (d)

§. IV.

(d) Notandus hic error GROTII, qui de *J. B. ac P. L. II. C. XX. §. 3.* docuit, facultatem puniendi omnibus, qui paribus delictis non sint contaminati, competere. Quæ & nonnullorum commentatorum est philosophia, nec non LOCKII de *regimine civili*, quem sequitur BARBEYRACIUS ad *Pufend. de J. N. ac G. L. VIII. C. III. §. 4. not. 3.* Hæc vero hypothesis eo magis vitanda, quo certius est, eam bello omnium in omnes locum facere; cum ad ejus ductum quilibet, qui se satis innocentem virtutibusque præstantem æstimat, alios, obtentu vitiorum enormium, invadere, horumque jura variis modis lædere queat. Quando enim homines, vitii licet dediti, jura nostra non turbarunt; jure suo possunt postulare, ut pacem cum ipsis colamus. Justa autem, quæ ob injuriam in statu naturali locum habet, defensio, aut vindicta bellica cum pœna non est confundenda. Conf. PUFEND. *cit. loco. it.* JO. SCHMIDII *dissert. de bello punitivo. Lips. 1714. hab.* Notandum vero hic simul est, pœnam interdum denotare *reprehensionem verbalem*: quo sensu accepta pœna, quin & inter pares locum habere queat, nulli profecto dubitamus. Quod & de *castigationibus paternis*

§. IV.

Jus hoc complectitur facultatem, 1) *Juris* singulares delictis pœnas statuendi; 2) *bujus* jurisdictionem criminalem aliis concedendi; 3) *partes.* judicia criminalia exercendi, quæ statutas pœnas applicent atque exequantur; 4) statutas denique pœnas, pro ratione variorum, quæ delicta comitantur, momentorum, vel exasperandi, vel minuendi, vel omnino remittendi.

§. V.

Non autem eum duntaxat in finem hoc *Finis e-* jus usurpandum, ut ægre fiat delinquenti; *ius.* quippe quæ mera foret crudelitas; sed, bonum potius futurum est spectandum. Hoc bonum futurum in primis est *publi-* ca securitas. Omnis quippe aut saltem primarius pœnarum finis huc redit, ut caveatur, ne tranquillitas reipublicæ communis similibus delictis in posterum turbetur. Qui finis obtinetur, si delinquens vel emendetur, vel morte, carcere aliaque ratione impediatur; itemque, si ceteri ci-

A a 5

ves

nis & disciplinaribus facile largimur; si per æquales intellexeris, quorum neuter in alterum imperio civili pollet.

(e)

ves poenarum exemplis terreantur. Atque sic facile patet, fini primario poenarum posse deinde & *delinquentis* atque *aliorum civium emendationem* certa ratione subordinari. (e)

§. VI.

*De jure
vita ac
necis.*

Unde consequitur, ubi reipublicæ securitati alia ratione satis consuli nequit, etiam jus esse Imperanti poenis capitalibus ad istum finem contendendi, atque adeo & jus vitæ ac necis in cives immergeros usurpandi. Quamvis enim hoc poenarum genere delinquens impediatur, quo minus emendationis edere specimina queat, sufficit tamen, securitatem civilem ejus sublatione defendi, aliosque terrore incusso a paribus delictis abstrahi.

(e) Conf. GROTIUS. *cit. cap. §. 6. seqq.* PUFENDORF. *L. VIII. C. III. §. 8. seqq.* Dn. THOMAS. *Jurispr. div. L. III. C. VII. §. 15. seqq.* Solent quidem plerique expiationis etiam hic mentionem facere, atque adeo & hunc poenarum finem statuere, ut læsæ justitiæ satisfiat. Verum cum ratio sibi relicta hunc finem ignoret, quem Theologi in doctrina de poenis divinis inculcant; merito eundem in doctrina legis naturalis omitterimus.

(f)

hi. Uti igitur errant, atque intempestive
mites sunt, qui omnes pœnas capitales
damnant; ita tamen profecto & manife-
sta crudelitatis edunt documenta, qui ju-
diciis capitalibus, ubi mitior sufficeret
pœna, promiscue indulgent. (f)

§. VII.

Ex ante dictis quoque patet, non nisi *Qui pu-
delinquentes, quibus delictum imputari pot-
est, esse puniendos.* Qui enim pœnis in
innocentes sœvire vellet, is profecto foret
injustissimus. Cavendum tamen est, ne
pœnz proprię dictæ loco censeamus *ma-
lum necessarium, quod interdum innocen-
tes ex pœnis delinquentium sentiunt.*
Quando enim universitas delinquens
juribus suis in pœnam delicti spolia-
tur; & in membra innocentia incommo-
dum inde redundat; quod tamen non pœ-
næ proprię dictæ, sed damni fatalis ratio-
nem habet. Idem observandum, quan-
do, bonis parentum, ob horum delictum,
filio addictis, innocentes liberi ad pauper-
tatem rediguntur. (g) §. VIII.

(f) Conf. GROTI. *cit. cap. §. 11. 12.* ubi Ana-
baptistarum argumentis respondet.

(g) Conf. GROTI. *L. II. C. XXI.* quod de com-
municatione pœnarum agit.

(b)

§. VIII.

Quæ delicta punienda? Existimandum tamen non est, ob quævis delicta subjectorum poenis civilibus locum esse debere. Jus enim puniendi ad ista tantum delicta applicari potest, *quæ securitatem reipublicæ turbant.* Quare etiam patet, poenis civilibus non subjacere pravos adfectus internos; nec vitia externa, quibus nullius jura violantur; multo minus errores intellectus, quos bonus cetera civis, sine vera reipublicæ turbatione, fovet.

§. IX.

De officio Imperantis. Quibus de jure puniendi demonstratis, & in obligationes est inquirendum. Obligantur vero Imperantes *regula justæ*; ob pactum, si non speciale, saltem generale, ad puniendum, quoties reipublicæ securitas id requirit; item ne poenis innocentes affligant, quippe qui hac ratione injuria afficerentur; denique ne normam legibus fundamentalibus præscriptam temere postponant. (b) *Regularum quoque honesti, decori ac prudentiæ in poenis*

(b) Id certum est, *leges pœnales Mosaiicas, aut talionem*, non esse normam pœnarum universalem. (i)

pœnis distribendis habenda ratio. Quare propoſitio inter pœnã & delictum ſervanda. (i) Cavendum in primis, ne in lapſus quosque, ac vel in ſingulares hominum ſententiã ſerviamus, licet nihil inde periculi in civitatem redundet. Interdum & delicta graviora diſſimulanda, aut gratia delinquentibus indulgenda, ſi abſque civitatis detrimento pœnæ ſumi nequeant. Magiſtratibus tamen inferioribus non temere concedenda facultas mitigandi pro lubitu pœnas aut omnino remittendi. Quem in finem juvat etiam, pœnas legibus, quoad fieri poteſt, definire. Non tam hominibus, quam delictis irascendum. In delictis multitudinis in primis puniendi auctores; ceteris, quantum ſalus rei publicæ permittit, parcendum. Pœnæ capitales non, niſi urgente neceſſitate, uſurpandæ. In executione pœnarum ſæpe quoque temporis ac loci ſingularis ha-

(i) Conf. quæ P. I. C. II. §. 13. de diverſa actionum humanarum quantitate expoſui. Add. PUFEND. L. VIII. C. III. §. 18 ſeqq. it. DN. THOMAS. Jur. Div. L. III. C. VII. §. 120. ſeqq.

(k)

habenda ratio, ne forte, his neglectis, periculorum tumultuum occasio enascatur. Adversus mala denique si veterata non uno impetu agendum, sed consiliis, ut sensim imminuantur ac tandem extirpentur.

§. X.

*De jure
aggratiandi.*

Quemadmodum itaque Imperantes ad puniendum obligari demonstravimus, quoties salus reipublicæ id requirit: ita tamen etiam ostendimus, ex eadem ratione non numquam & delinquentibus veniam delicti esse concedendam. Quare evidens est, jus, quod vocant, aggratiandi, seu poenas promeritas ob salutem reipublicæ remittendi jure naturali in cujusque generis delictis locum habere; honeste tamen, decore ac prudenter usurpandum. (k)

§. XI.

*De obligatione
rei ad
penam.*

Denique & hoc loco investigandum, an delinquens ad poenam obligetur? cum

con-

(k) Quæ Stoici objecerunt, GROTIUS cit. Cap. XX. L. II. §. 21. seqq. confutavit. CONF. PUFEND. cit. cap. §. 15. seqq. it. DN. THOMAS. diff. de jure aggratiandi Principii Evangelici in causis homicidii.

constet, ea de quaestione eruditos inter se contendere. (l) Id certum est, atque evictum, *rem non obligari, ut delictum sponte confiteatur, ac se ipsum ad pœnam offerat*; cum talis obligatio non possit demonstrari. Primo enim in neminem est injurius, dum jure tantum se ipsum conservandi utitur, salvumque cetera jus puniendi, quod Imperantis est, relinquit, nec idem ulla ratione invadit, turbatque. Quid? quod & interdum jus esse potest, cui non singularis in altero obligatio respondeat. (m) Multo minus in regulas honesti, decori ac prudentiæ peccat; cum amor

(l) JURIS CIVILIS INTERPRETES vulgo quaestionem affirmant. PUFEND. *cit. cap. §. 4.* eam negavit. Hujus argumentis sua opposuit Dn. THOMAS. *in Jpr. Div. L. III. C. VII. §. 67. seqq.* Conf. BARBEYR. *ad cit. loc.* Pufendorffii vero patrocinium suscepit PALTHENIUS, Profess. Gryphisw. *diff. de obligatione rei ad sanctionem penalem.* Vid. tamen Dn. THOMASII *Fund. J.N. ac G. cit. cap. §. 11. seqq. edit. noviss.*

(m) Sic naufragii periculo expositi omnes jure gaudent se conservandi; alter tamen alteri spesiatim non obligatur.

(n)

amor rationalis sui conservationem commendat, ac prudentia eam, quæ ad hunc finem maxime conducit, viam eligere suadeat. Sufficit itaque hoc casu, peccantem se emendare, ac dānnum forte delicto occulto datum tutissima ratione reparare. *Ad pœnam autem patiendam convictus reus utique certa ratione obligatur.* Quemadmodum enim stultus est, qui vā dolores agente, ad supplicium vult trahi, ubi nulla patet via evadendi: ita si quis hanc sibi aperire velit violentia in magistratum, vel executores pœnarum usurpata, aut homicidio, adulterio similibusque criminibus, is profecto novum iniustitiæ dœumentum ederet. Quod si vero carceres effregit reus, aufugitque, non magis peccabit, quam si sponte delictum non confessus fuerit, aut alia ratione ipse sibi pœnarum dolores non acceleraverit.

§. XII.

*De jure
distribuen-
di
præmia.*

Postquam autem ab immotigeris civibus salutem reipublicæ pœnis vel acutissimis defendendam esse, pro instituti ratione satis demonstravimus, addendum etiam est, eandem civitatis salutem quoque poscere

poscere, ut summi Imperantes bene meritos præmiis afficiant, quo ad meliora virtutum specimina in commune bonum excitentur. Quare & singulare Imperantibus jus est, præmia inter cives hunc in finem distribuendi.

§. XIII.

Quod, ut ad ductum rectæ rationis si- *De offi- cto.*
at, primo ejusmodi præmia sunt eligenda, quæ accipienti grata sunt, ac reipublicæ minus onerosa; deinde cavendum, ne ea, quæ præmiorum nomine distribuuntur, nimis evilescant; denique & gradus meritorum ponderandi, atque pro diversa horum ratione præmia temperanda. Quæ quidem *regule honesti, decori ac prudentiæ* inculcant. Regula autem justæ peculiarem hic obligationem non producit: cum Princeps, præmia negligendo, aut minus caute applicando, nec in reipublicam, nec in cives bene meritos injurius possit pronuntiare.

CAP. VII.

DE JURE IMPERANTIUM
INTUITU EXISTIMATIONIS
ATQUE HONORUM
CIVIUM.

§. I.

*Conne-
xio.*

Quemadmodum capite precedenti in-
ter alia vidimus, jus Imperantibus
certa ratione & in vitam subditorum esse;
ita non minus est necessarium, ut, in sa-
lutem reipublicæ, iisdem peculiare quo-
que jus intuitu existimationis ac honoris
civium tribuamus.

§. II.

*Jus in-
tuitu
existi-
matio-
nis.*

Intuitu existimationis simplicis Impe-
perans facultate pollet, iis, qui vel ob le-
gitimorum natalium defectum, vel ob
sordidum vitæ genus, vel alia de causa, in-
tegra existimatione simplici non gaudent,
famæ integritatem largiendi; & contra
alios infames declarandi.

§. III.

*De offi-
cio.*

Qua in re tamen non absolutum Impe-
rantis esse debet arbitrium. Uti enim
in

in priori hujus juris parte ad ductum *regularum honesti, decori ac prudentiæ*, ipsi ita verſandum, ne ſordidos quosque homines promiscue ſamæ integritate mactet: ita *injustus* utique foret, ſi cives innocentes bonæ ſamæ diſpendio plectere vellet.

§. IV.

Intuitu honorum ac dignitatum ea *Jus intuitu honorum.* ſummo Imperanti potestas competit, ut ſingulares in civitate honores ac dignitates definire, iisdemque diverſum ſtatuerè valorem queat. Potest itaque varios ſtatus introducere, aliamque ſervorum ſtatuerè conditionem, aliam liberorum; aliam ignobilium, aliam nobilium; ac varios rurfus nobilitatis ordines conſtituere. Potest porro honores alios in breviffimum temporis ſpatium, alios in dies vitæ, alios denique in heredes tranſituros concedere. Potest denique & cives honoribus, quibus fulgent, juſta de cauſa ſpoliare. (n)

Bb 2

§. V.

(n) Conf. PUFEND. *de J. N. ac G. L. VIII. C. IV.* it. Dn. THOMAS. *Diff. de exiſtimatione, fama ac infamia.* Adde EYBENII *Differt. de titulo nobilis.* PALTHENII *Differt. de nobilitate.* HERTII *elem. prud. civ. P. I. S. V. §. 12. &c.*

(o)

§. V.

*De offi-
cio.*

De officii rationibus non est, quod hic
speciatim agam; cum sufficiat, ea, quæ
tum capite precedenti, de distributione
præmiorum; tum alio capite de jure con-
stituendi Ministros, nec non Magistratus
atque officiales inferiores, quantum ad
officii rationes, exposui, in memoriam re-
vocare.

CAP. VIII.

DE

JURE IMPERANTIUM IN
BONA PUBLICA AC
PRIVATA.

§. I.

*Necessi-
tas ejus.*

Cum salus reipublicæ etiam a legitimo
honorum usu pendeat, necesse quo-
que est, ut peculiare Imperantibus jus il-
lorum intuitu tribuamus.

§. II.

*Bona-
rum di-
stinctio.*

Bona autem, quæ civitate continen-
tur, non unius sunt generis. Alia enim
sunt civitatis & publica, alia civium, &
privata. Illa dicuntur, quæ in publico
civi-

civitatis sunt dominio. (o) Hæc verò, quæ in privatorum sunt patrimonio.

§. III.

Bona civitatis rursus distinguuntur. *De bonis*
 1) Alia sunt *bona principatus*, (p) ad su- *civita-*
 stentationem ac splendorem Regis ejus- *tis.*
 que familiz destinata; 2) alia *republicæ bona* in sensu specialiori, publicis, qui
 ad rempublicam bene administrandam
 requiruntur, sumtibus dicata; 3) alia de-
 nique consistunt *in rebus omnibus extra*
dominium privatorum, sive singulare, sive
 commune, *positis.*

§. IV.

Quantum ad *prioris generis bona* atti- *De jura*
 net, Imperantibus non solum facultas iis- *Impe-*
 dem utendi fruendi, deque fructibus pro *rant. in-*
 arbitrio statuendi, competit; sed & ur- *tuitu bo-*
 gente reipublicæ necessitate, aut singu- *rum.*
 lari ejusdem utilitate suadente, eadem si-
 ne dubio libere poterit alienare, ni pecu-
 liares obstitent conventiones. *Secundi*

Bb 3

verò

(o) Quod locum habet intuitu omnium, quæ
 privatorum non sunt.

(p) Cave tamen, hæc bona cum Principis
 patrimonio confundas.

(q)

vero generis bona ab Imperantis duntaxat administratione ac moderamine ita pendent, ut in reipublicæ usus, quibus destinati sunt, eadem possit impendere: fructus vero eorundem sibi non lucratur: tantum abest, ut ea pro arbitrio alienandi facultate gaudeat. In *tertii generis bona* ea Imperantes facultate pollent, ut aut communem eorum usum civium arbitrio permittere, aut contra hos a libero isto usu, in salutem Reipublicæ, excludere, ac res ejusmodi publicis usibus vindicare queant. Hinc jus oritur in agros nondum occupatos, in metalli fodinas, in feras bestias, in flumina omnesque aquas publicas, & quæ sunt generis ejusdem.

§. V.

*De bonis
privatorum.*

Ad bona privatorum ea omnia in casu dubio referenda, *quæ privati*, sive singuli, sive in universitates collecti, *sibi possident*. Cum enim dominia privata fuerint omnino antiquiora; sine dubio subiecti, in civitatem coeuntes, sua sibi dominia facta tecta conservarunt. Quod si etiam casum ponamus, quo multitudo sub ducis cujusdam auspicio, ut haud
semel

semel contigisse constat, magnos terræ tractus occupavit, atque universo coetui acquisivit; ordinarie tamen terrarum atque aliarum rerum occupatarum particulæ inter privatos ita sunt distributz, ut & privatis rerum dominiis locus fuerit relictus. Quare rerum a privatis possessarum dominium ipsis tam diu debet esse illibatum, donec contrarium demonstratur. (9)

Bb 4

§. VI.

(9) Interdum vero demonstrari potest, cives bona non alio possidere jure, quam quo servi quondam Romani sua peculia tenebant. Sic *Ægyptios* in eam quondam conditionem redactos novimus *Genes. XLVII. 13. seqq.* De *Indis* veterum testimoniis ostendit PUFEND. *de J. N. ac G. L. VIII. C. V. §. 1* totam eorum regionem fuisse Regis. Addit deinde, idem adhuc hodie in *regno Magni Mogolis*, nec non in *regno Congo* obtinere. Quibus HERTIUS *not. (c)* exemplum *regni Siamensis*, atque *Imperii Habessinorum*, itemque *insule Ceylon*, adjecit. In his itaque regnis quicquid juris habent subiecti in bona, id ab indultu ac concessione Regum, absoluta de universis bonis disponendi potestate gaudentium, pendere testantur. Qua occasione notandus HOBBIUS, *qui de Cive. C. VI. §. 15. C. XII. §. 7.* tantam in genere Monarchæ suo

§. VI.

*Triples
jus in
bona
privata.*

Quo privatorum dominio salvo, hoc tamen a suprema Imperantium potestate, in securitatem ac sufficientiam communem, pendere debet. Quare triplex Imperantibus jus in bona subjeutorum merito vindicamus. I. Ut acquisitionem, possessionem, usum ac translationem eorum legibus in salutem reipublicæ dirigere queat. II. Ut facultate gaudeat, iisdem publica in communem salutem onera imponendi. III. Ut jure quoque domini eminentis fruatur.

§. VII.

*Primi
partes
spectat.*

Vi primi illius juris, Imperantibus integrum esse debet, 1) modos acquirendi, conservandi atque alienandi bona specialius definire; 2) legibus sumtuariis subjeptos, ad frugalitatem, quoad fieri potest, perducere; 3) commerciorum cursum ita ordinare, ut sufficientia communis promoveatur, & contra occasio civibus præscindatur, inutilibus, noxiisque commercii

suo potestatem tribuit, ut bona subjeutorum in universum *peculi profectitii naturam* referro ipsi videantur.

(r)

merciis opes ad exteros transferendi; 4) rebus, ubi expedire videtur, pretia statuere; 5) mensuras rerum in commercium venientium, ac pondera imperare; 6) mundinas cum juribus affimibus indulgere; 7) rei quoque cursoris curam gerere; 8) supersticiosos etiam bonorum abusus corrigere, & quæ forte sunt alia generis ejusdem.

§. VIII.

Ad secundi, quod indicavimus, juris *Secundi partes.* partes referimus 1) jus indicendi tributa; 2) vectigalia mercibus, tum invehendis, tum evehendis statuendi; 3) jus deductionis intuitu civium, e reipublicæ territorio migrantium; 4) jus denique ab ejusmodi oneribus nonnullos, justa de causa, immunes declarandi.

§. IX.

Dominium autem eminens, quod *Tertii uberior explicatio.* tertio loco posuimus, facultatem complectitur, urgente reipublica necessitate, bona *subjeclorum perdenis, aut etiam in usus publicos, vel cum detrimento subjeclorum, applicandi.* Quemadmodum enim quilibet civium obligatus est ad salutem communem pro viribus promovendam: ita

jus quoque Imperantibus esse debet, media non solum ordinaria sed & extraordinaria, ad istum finem necessaria, adhibendi, atque adeo, premente necessitate, plus oneris nonnullis imperandi, quam alias pro rata sua portione conferre solebant. Ipsa itaque imperii civilis indoles ac rerum publicarum finis dominiū eminentis satis superque fulcit; singularis autem reipublicæ necessitas occasionem præbet, id ipsum in actum deducendi. Cessante vero ejusmodi necessitate, æquum est, ut damnum, quod nonnulli civium ea occasione in communem utilitatem passi sunt, pensetur. Tantum itaque abest, ut dominiū eminentis vocabulo *licentiam* Imperantibus tribuamus, *primarium rerum privatarum dominiū adfectandi, easdemque pro arbitrio in suos usus convertendi.* (r)

§. X.

(r) Conf. GROTIJ. de J. B. ac P. L. I. C. I. §. 6. it. L. II. C. III. §. 4. ZIEGLERUS equidem in *observat. ad priorem locum dominiū eminentis licentioris politicæ inventum* appellavit. Quid? quod & aliis eodem sensu displicet. Sed, qui ante dicta probe ponderabit, facile intelliget, rem ipsam, novis quidem vocabulis expressam, esse tamen anti-

§. X.

Istis autem, quæ exposuimus, juribus, *De officio*
 ad ductum rectæ rationis, ut ceteris, u-
 tendum esse Imperanti, per se patet. *Re-*
gula itaque *justi* hic pariter obligatur,
 ne potestate concessa, neglecto pacto,
 vel generali, vel speciali, in verum rei-
 publicæ detrimentum, civiumque singu-
 lorum deprædationem, abutatur. Præ-
 terea vero ad ductum *regularum honesti,*
decori ac prudentiæ usus bonorum publi-
 corum ita temperandus, ne turpi prodi-
 galitati aut avaritiæ locus relinquatur;
 sed ut potius decenti ratione Princeps sibi
 ac reipublicæ, tum inter cives, tum inter
 externos amicos pariat, ac suam non mi-
 nus, quam reipublicæ utilitatem prudenter

PRO-

antiquissimam, rectæ rationi finique rei-
 publicæ concinnam, ac nulla iniquitate læ-
 borantem; quamvis æque, ac alia jura le-
 gitima, Imperantium abufui obnoxiam.
 Conf. BOECLERI *dissert. de dominio e-*
minente. GUILIELMUS LYSERUS,
Dissertatione præ imperio contra domini-
um eminens, rem non valuit impugnare,
 nomen ferre non potuit, adeoque integra,
 quam movit, controversia in logomachi-
 am resolvitur.

(s)

promoveat. Quibus positis, eo laborandum, ut reditus publici honesto quovis modo augeantur; multo magis, ut decrementis tempestive obviam eatur. Civium ea hic cura gerenda, ut sufficientia inter ipsos, quoad fieri potest, vigeat. Quare non solum leges sumptuariæ prudenter ferendæ; sed & opera danda, ut commercia atque opificia itemque agricultura inter cives quam optime floreat. Tributa porro ac vectigalia ita temperanda, ut multum inde commodi Imperantibus, parum oneris, aut odii atque invidiæ inter cives enaseatur. Hinc & occasione prudenter inserviendum. Mercibus, quæ ad luxum faciunt, graviora onera imponenda; iis vero, quæ ad necessaria vitæ subsidia faciunt, parcendum. Cavenda etiam frequens onerum receptorum mutatio, aut novorum, præter illa, inventio. Nec temere quisquam ab oneribus publicis eximendus. Cavendum quoque, ne tributa ac vectigalia publicanis promiscue elocentur.

CAR.

CAP. IX.

DE
JURE IMPERANTIUM IN
COLLEGIA.

§. I.

Collegium est plurimum personarum, *Collegii*
ad certum finem unitarum, societas *descri-*
æqualis, media inter familiam ac magnam *ptio.*
societatem civilem.

§. II.

Uti vero ante conditas civitates libe- *Funda-*
ra fuit facultas, formandi collegia: ita, *mentum*
his deinde ortis, collegia non omnino *juris in-*
illicita esse coeperunt; cum hæc, velut *dicati.*
societates æquales, imperio civili com-
mode possint subordinari. Interea ta-
men salus reipublicæ non permittit, ut
plenissima sit collegiorum libertas; sed
requirit potius, ut *jure supremi modera-*
minis imperans in omnia civitati, sua col-
legia æque polleat, ac in cives singulos. Col-
legia enim ex civibus coalescunt: qui
rei singuli imperio sunt subjecti; ita nul-
la solida reddi potest ratio, quare colle-
ctive sunt ad plenissimam aspirare liber-
tatem

tatem debeant. Quid? quod & cives, si collegia omnino essent libera, hoc clypeo tuti, infinitas in detrimentum reipublicæ turbas impune possent moliri.

§. III.

*Ejus
partes.*

Quo posito fundamento juris Imperantium in suæ civitatis collegia, ejusdem partes paullo specialius explicandæ. Nempe ex principiis rectæ rationis legitima Imperantes facultate gaudent, 1) collegia certa, quæ fini civitatis adversa sunt, prohibendi, eademque dissolvendi; 2) cavendi, ne alia tolerantur in civitate a magistratibus inferioribus quam publice approbata; 3) nova collegia formandi; 4) his non minus, quam ceteris, leges limitesque singulares præscribendi, ac privilegia largiendi; 5) subjectos, ceteris paribus, cogendi, ut in collegia, ob singularem forte reipublicæ securitatem ac sufficientiam formata, se conferant, atque in iis munera sibi adsignata pro viribus obire teneantur; 6) prospiciendi, ne statuta collegiorum reipublicæ noceant, atque adeo & edicendi, ne sine publicæ confirmatione usurpentur; 7) Denique etiam nullum est dubium, quin & Princeps

ceps ipse socium hujus, vel illius collegii agere queat. (s)

§. IV.

Intuitu collegiorum Imperans *regula De offi-
justi* obligatur, ne in verum reipublice *cio.*
detrimentum, aut contra leges funda-
mentales, collegia vel formet, vel in usu
jurium suorum turbet, vel dissolvat.
Deinde vero *regula honesti, decori ac pru-
dentie* præcipiunt, ut eorum commoda,
decentemque libertatem, prout par est,
promoveat; simul tamen opportune ca-
veat, ne hæc in licentiam nimiamque au-
toritatem reipublice periculosam, possit
degenerare, aut unum alterius commo-
da perperam impedire.

CAP.

(s) Quatenus autem imperans membrum e-
jusmodi collegii agit, Imperantis personam
tantisper deponit: Collegia enim sunt so-
cietates æquales, in quibus membrorum u-
num, qua tale, nullo in alterum Imperio
pollet. Quapropter & hoc respectu sta-
tutis collegiorum, boni ordinis gratia fir-
matis, eum se subicere oportet: quem-
admodum juribus eorum una cum ceteris
sociis frui cupit. Conf. Dn. BOEHME-
RI *ius publ. univers. Part. spec. L. II.*
C. IV.

(f)

DE

JURE IMPERANTIIUM IN RE-
LIGIONEM AC STUDIA.

§. I.

*Necessa-
ria reli-
gionis
directio.*

AD finem reipublicæ non parum con-
ducere constat, ut legitimam religi-
onis curam gerant Imperantes. Quam-
vis enim reipublicæ commoda nevi-
quam primum, multo minus unicum
(t) veræ religionis finem constituent;
nec civitates religionis gratia sint condi-
tæ; (u) nemo tamen inficias ire potest, re-
ligionem, si recte dirigatur, ad securita-
tatem ac tranquillitatem reipublicæ mul-
tum conferre, atque adeo legitime tem-
peratum ejus in civitate moderamen eo
magis

(t) Ut adeo insania sint MACHIAVELLI-
STARUM sententia, religionem pro domi-
nandi instrumento venditantium.

(u) Religio enim ante conditas civitates jam
viguit; ortisque civitatibus, magis indies
magisque corrupta fuit, vitio non minus
imperii, quam sacerdotii.

(x)

magis esse necessarium, quò certius constat, sæpe homines perditissimos, religionis obtentu respublicas modibus periculosis implicasse. (x)

§. II.

Hoc verò religionis moderamen juris circa sacra nomine venire solet; quod est legitima summorum Imperantium sacculus, regendi auctoritate Imperii ecclesiasticas particulas, quæ sunt in republica, eam in finem, ut tum reipublica, tum ecclesia salus promoveatur.

§. III.

Cujus juris fundamentum est ipsa *lex naturalis*. Hæc enim omnia summis

Cc

Im-

(x) Conf. GROTIUS de jure summarum potestatum circa sacra. PUFEND de habitu relig. ad rompubl. Christ. it. de Monarchia sedis Romana; cum not. Dn. THOMASII Cujus etiam tract. de jure Principum Evangel. in controvers. Theol. huc pertinet; it. dissert. de jure Princ. circa adiaphora, nec non meditationes de jure summarum potestatum circa sacra, cap. XVII. in capitulis circa præcognita Jurispr. Ecclesiastica. Add. Dn. BUDD. Tract. de concordia relig. Christ. statusque civilis. REINHARDI Meditationes de jure Principum circa sacra. &c.

(xx)

Imperantibus tribuit potestatem, quæ re-
 ctæ rationi non repugnat, & ad salutem
 reipublicæ conducit; qualis etiam est
 potestas dirigendi religionem. Et quem-
 admodum ecclesia est collegium æquale,
 religionis gratia formatum: ita, quate-
 nus in hac, vel illa republica subsistit,
 summo quoque Imperanti, qui caput est
 reipublicæ totius, & in ejusmodi collegi-
 um ecclesiasticum inspectio quædam ge-
 neralis est vindicanda. (xx)

§. IV.

*Est pars
 civilis
 imperii.*

Cum itaque in fundamento hujus juris,
 ex lege naturali eruendo, finem civitatis
 simul ob oculos versari oporteat; con-
 sequitur profecto, jus circa sacra esse par-
 tem civilis imperii, atque adeo Imperan-
 tem, qua talem, non qua Episcopum, (y)
 aut

(xx) Quare nec absurdum nec impium est,
*Principem caput ecclesiæ particularis, quæ
 est in republica, appellare, quod Anglis
 est solenne.*

(y) Quod est multorum commentum. Conf.
 imprimis Dn. BOEHMERI *diff. de jure E-
 piscopali Principum Evangelic.* qui falsæ
 hujus hypotheseos Patronos prolixè recen-
 sivit ac solidissime confutavit.

(z)

aut primum Ecclesie membrum, (z)
aut vi singularis conventionis, (a) eo-
dem pollere.

§. V.

Verfatur autem hæc potestas circa mo- *Respicit*
dum externum colendi Deum in civi- *cultum*
tate *arbitrariam*. Veritates enim Theo- *exter-*
logicæ, nec non cultus Dei internus, qui *nium*.
amore reverentia absolvitur, nulla certe
imperii autoritate possunt inculcari. Ne-
que cultus Dei externus naturalis, quem
supra exposui, (b) coactioni civilis im-
perii cum ratione potest obnoxius reddi;
cum istiusmodi actus externi non sint a-
ctus arbitrarii, sed naturalia ac necessaria
interni affectus documenta: in his enim
quilibet civis sua debet frui libertate,
modo ne reipublicæ tranquillitatem tur-
bet. Quæ autem religionis gratia for-

C c 2

mantur

(z) Quod post plures alios nuper etiam de-
fendit JÆGERUS *tract. de jure supremar.*
potest. circa sacra, cap. III. p. 44. seqq.

(a) Qui communis est error omnium, qui jus
circa sacra ex jure Episcopali deducunt, ac
simul ad pacificationem religiosam &
Westphalicam oculos convertunt.

(b) P. II. S. I. C. I. §. 10. De arbitrario vid.
§. seq.

(c)

mantur in republica societates, quasque ecclesias vocamus, variis ritibus, formulisque solennibus arbitrariis ad cultum externum uti solent. De ejusmodi itaque adiaphoris nullum cuiquam dubium esse potest, quin statuendi potestas Imperantibus competat.

§. VI.

*Partes
hujus ju-
ris spe-
cial.*

Vi hujus quidem potestatis Principi omnia in univcrsum in sacris permiffa sunt, quæ nec rectæ rationi, nec veræ revelationi divinæ repugnant: (c) juvat tamen partes juris circa sacra potiores specialius recensere. Pertinet huc 1) jus recipiendi, tolerandi ac protegendi ecclesias, easdemque in plures conciones particulares, boni ordinis gratia, distinguendi, singulasque suis juribus ac privilegiis muniendi. 2) Jus reformandi, seu ritus adiaphoros melius formandi, atque abusus tollendi. 3) Jus præscribendi ordinationes ecclesiasticas, aut eas, quæ ab ipsis collegiis ecclesiasticis conditæ sunt, emen-

(c) Quæ regula ita est comparata, ut in ea tuto acquiescere queamus. Qui enim ad exceptiones a regulâ provocat, onus probandi in se devolvit. (d)

emendandi ac confirmandi. 4) Jus dirigendi constitutionem ac remotionem Episcoporum aliorumque Ecclesiarum ministrorum. 5) Jus in controversiis Theologicis, quibus reipublicæ tranquillitas turbatur, pacem utrique parti, salva veritate, imperandi. 6) Jus, perversum in ecclesia docendi modum corrigendi, aliosque officii abusus in ministris Ecclesiarum impediendi ac tollendi. 7) Jus dirigendi acquisitionem, administrationem atque usum bonorum ecclesiasticorum. 8) Potestas jurisdictionis ecclesiasticæ, tum intuitu personarum, tum rerum, tum etiam causarum ecclesiasticarum. 9) Jus convocandi ac dirigendi concilia, eorumque decretis, quæ adiaphora respiciunt, (d) ubi opus fuerit, pondus addendi. 10) Jus, certæ religioni addictis, quos ferre

Cc 3

non

(d) Ea enim conciliorum decreta, quæ veritates respiciunt formulasque fidei, nemini, auctoritate imperii, cum ratione possunt obtrudi; sed libero cujusque arbitrio, adhibitis remediis suaforiis, sunt permittenda. *Conf. quæ de conciliis dixi in Instit. jurispr. eccles. L. I. C. IX. Ubi §. 7. & 8. Speciatim de jure majoris partis in Conciliis, nec non de affectata horum auctoritate dixi.* (e)

non juvat, emigrationem sine injuria imperandi. (e)

§. VII.

De fine Finem juris circa sacra in descriptione
bujus juris, ita expressi, ut *salutem reipublicæ atque*
ris, *ecclesiæ* non sine ratione conjunxerim. Securitati enim reipublicæ ita consulendum, ut & bene sit ecclesiæ, quæ illa continetur; cum saluti communi salus singulorum civium atque collegiorum sit subordinanda. (f)

§. VIII.

De officio Imperant, *circa sacra,* Exposito jure circa sacra, addenda quæ nonnulla de officio Principis circa sacra. Nempe *regula justæ* Princeps obligatur, ne jure circa sacra contra pactum generale, vel speciale, quo suæ reipublicæ est obstrictus, abutatur; vel obtentu illius imperium in conscientias affectet, injustissimum non minus, quam absurdissimum. (g) Præterea ad ductum *regularam*

(e) Conf. Dn. BOEHM, *jus publ. univers.* Part. spec. L. II. C. V.

(f) Conf. Dn. BOEHM, *Dissert. prælimin. de suprema lego eccles. quam L. I. Juris Eccles. Protest. præmisit.*

(g) Libertatem conscientiarum, velut jus hominis

rum honesti, decori ac prudentiæ curandum est principi, ut, quantum in ipso est, veræ religionis ac pietatis cursus promoveatur potius, quam impediatur, sacræque in hunc finem ceremoniæ ordinentur. Quæ tamen cura ad religionis indolem prudenter attemperanda. Nam religio ac pietas doctrina, monitis atque exemplis propagandæ, non legibus pœnalibus; quamvis bona fide promulgatis. Neque stupide ac superstitiose existimandum est, Principem summi Numinis gloriam promovere, si zelo intempestivo, Cleri forte persuasione excitato, religionis emolumentis,

Cc 4

vel

nis connatum, intuitu religionis, jam supra demonstravi *P. H.S.I.C.I. §. ult.* Neque huic juri homines, si vel maxime vellent, renuntiare valide possunt; quippe quod cum officio erga Deum arctissime est conjunctum. Quis igitur, quæso, nisi insanus, de veritate, fide in Deum, ejusque amore reverentiali ita posset pacisci, ut in his absoluto alterius arbitrio coecus vellet pendere? Et quis quæso homo sanz mentis ejusmodi pactum, quod rationi omnino repugnat, validum pronuntiaret? Quare absurdissima est *HOUTYNI* aliorumque ratiocinatio, *sub absoluta populi submissione etiam jus in conscientias latere somniantium.*

(b)

vel cum summo tranquillitatis publicæ pe-
 riculo, consulere studeat. Tolerandi ita-
 que sunt dissentientes, qui bonorum civi-
 um officia explent, tranquillitatemque
 reipublicæ nulla sua culpa turbant. To-
 lerandi quoque interdum ritus supersti-
 tioni inservientes, si absque periculosis
 reipublicæ motibus reformari nequeant;
 atque opportunior rei exsequendæ occa-
 sio prudenter expectanda. Curandum
 tamen est, ut populus placida ac salutari
 doctrina, tum de interna veræ religionis
 virtute, tum cerimoniarum indole certior
 reddatur, ac suæ simul superstitionis
 convincatur. Qua posita rituum sacro-
 rum tolerantia, vel repurgatione, omni-
 bus tamen ac singulis libera conceden-
 da facultas, iisdem utendi, vel non utendi,
 modo in eosdem non sint injurii; cum in
 causa religionis non tam libertas civitati
 noceat, quam nimia ejusdem restrictio.
 Quem in finem & ejusmodi doctores at-
 que antistites ecclesiæ præficiendos curet
 Imperans, qui pacem amant, ac dissentien-
 tes, salva veritate, ferre possunt. Non
 tamen officii ratio, nisi speciali pacto ob-
 ligaretur, ab Imperante possit, ut sectam
 toleret,

toleret, quæ imperium civile vere respuit atque contemnit, aut Monarchas, posteaquam hærescos aliorumque vitiorum accusati sunt, de solio dejici, vel interfici posse existimat; aut sacris diris devoto Principi non esse obediendum clamat; aut alia ratione tranquillitati publicæ pacis avertatur. (b) Quæ in re tamen, uti primis statim principiis est resistendum: ita, ubi hoc neglectum fuerit, caute deinde est agendum, ne sibi Princeps æque, ac reipublicæ, violenta talium hominum ejectione, magis noceat, quam profit. Cavendum etiam, ne nimiam doctores ecclesiæ potentiam, nimiasque cum damno reipublicæ opes acquirant, easdemque ab oneribus publicis sine discrimine immunes possideant; ubi vero isteævus civitatem jam corrumpit, idem tutissimis remediis in utilitatem reipublicæ atque ecclesiæ corrigendus.

§. IX.

Quantum denique ad studia, nec non De jure formatas in civitate eorum gratia scholas atque officio Imperantium circa studia.

CG. 5

atque

(b) Sed cavendum etiam, ne scilicet falso impotentur, quæ pauci tranquillitatis turbatores statuunt.

(1)

atque Academias, aliasque eruditorum societates publicas attinet; uti nemo facile dubitabit, quin & suprema in has Imperantibus inspectio sit tribuenda; ita non est, quod de hac specialius dicamus; cum ea, quæ de jure atque officio Imperantis intuitu religionis exposuimus, huc facile possint trahi atque applicari.

CAP. XI.

DE

JURE BELLI AC PACIS.

§. I.

*Conne-
xio.*

Jura majestatica cum supra in immanen-
tia & transeuntia distinxerimus; or-
do postulat, ut, expositis illis, & de his tan-
dem specialius agamus. Consideran-
dum itaque nunc ordine suo jus belli ac
pacis, nec non jus foederum, ac
denique jus legationem. Quippe quæ
ad finem reipublicæ æque requiruntur,
ac immanentia.

§. II.

*Bellum
quid?*

Bellum est status per vim certantium,
qua tales sunt. (i)

§. III.

(i) GROTIUS, de J. B. ac P. L. I. C. I. §. 2.

(k)

§. III.

Qui quidem status, uti ad conservatio-^{An licitum?}
nem jurium suorum, in statu naturali, ubi
communia judicia deficiunt, in subsidi-
um utique est necessarius; ita nullum est
dubium, quin lege naturali bellum tan-
dem gerere liceat. (k) Quam permissi-
onem nec ulla sustulit sive veteris sive
novi foederis revelatio. (l)

§. IV.

Ut autem bellum licitum pronuntiari ^{De justa belli}
possit, oportet justam ejus adesse causam. ^{caussa.}
Hæc vero nulla alia esse potest, quam in-
juria, (m) sive *imminens*, sive jam *illata*,
quarum illa bello avertenda, hæc repa-
randa.

§. V.

(k) vide, quæ de jure violentæ defensionis
supra dixi ac demonstravi P. II. S. I. C. II.
§. 9. seqq.

(l) GROTIUS. *de jure B. ac P. L. I. C. II.*
Cujus tamen error notandus, quando no-
vam legem Christi in hac materia allegat,
jusque belli gerendi ac puniendi confun-
dit.

(m) GROTIUS. *L. II. C. I. §. 2. n. 2.* tres allegat
justas belli causas (1) *defensionem*, (2) *re-*
parationem, (3) *punitionem*. Verum hæc
repetenda sunt, quæ de bello punitivo no-
tavi *hujus Sect. C. VI. §. 3. not. (d)*

(n)

§. V.

*De caus-
sa justifi-
ca &
suasoria.* Quæ itaque injuriam respicit belli caus-
sa, atque adeo *sub ratione justæ movet,*
justifica dici solet, ac distingui a suasoria,
quæ *sub ratione utilitatis* impellit. (n)
Ut autem recte bellum geratur, causam
justificam cum suasoria oportet esse con-
junctam.

§. VI.

*De inju-
stis belli
causis.* Quotiescunque vero nulla injuria ad
bellum movet, injusta semper adest belli
caussa, bellumque ipsum generatim in-
justum est pronuntiandum. (o) Interea
tamen bellum, intuitu causarum moven-
tium, multiplici ratione injustum esse pos-
se, facile concedo. (p) Varia autem,
quæ in medio alibi proferuntur, momen-
ta, ad duas commode classes revocamus.

Aut

(n) GROTIUS, *cit. cap. I. L. II. §. 1.*(o) Verum in applicatione speciali quæstio
sæpius difficillimæ est decisionis. Conf.
Dn. GUNDEL. *dissert. de efficientia metus C.*
II. §. 12. 14. 15. Adde, quæ supra dixi de
metu injusto, P. II. S. I. C. V. §. 48.(p) Grot. I. II. C. XXII. Pufend. de O. H. ac
V. C. L. II. C. XVI. §. 4. it. de J. N. ac G. L.
VIII. C. VI. §. 5.

(9)

Aut enim injustæ belli causæ sunt *aperse tales*; nempe quando nil, nisi manifesta avaritia atque ambitio, (q) ad bellum impulit; aut quodam *colore tinctæ*: v. gr. 1) Sola utilitatis ratio; 2) negatum matrimonium, vel alia eorum denegatio, quæ jure suo nemo potest postulare; 3) studium quærendi sedes meliores; 4) rerum ab improbis, ac barbaris possessorum ad usus meliores destinatio; 5) studium, in ordinem redigendi servos, quos vocant, natura tales; 6) titulus universalis domini in totum terrarum orbem, quem alii Imperatoribus, alii Pontificibus Romanis tribuerunt; 7) Voluntas, implendi vaticinia divina; & quæ sunt generis ejusdem. De eo autem disceptari novimus, utrum *metus crescentis potentie vicini* injustis quoque belli causis sit accensendus? (r) Mihi quidem distinguendum videtur, an
vanus

(q) Quæ veræ sæpius sunt bellorum causæ, quamvis aliæ obtendantur. Unde & recte cum GROTIUS *veras discernimus causas a bellorum pretextibus.*

(r) Quam quidem quæstionem plerique eum GROTIUS affirmant. Conf. PUFEND. *cit. loco cit. de J. N. ac G. L. II. C. V. §. 6. ibique*

vanus fuerit ejusmodi metus; an vero justus, solidisque rerum argumentis munitus.

§. VII.

*De causa
sa dubia.*

Quod si causa belli dubia fuerit, adeoque Imperans hæsitet, sitne bellum justum, an injustum, cum ex utraque parte probabilia adsint argumenta; regula, quæ de intermittenda tantisper ob conscientiam dubiam, actione inculcare solemus, & hic erit observanda; nisi urgens aliud requirat necessitas.

§. VIII.

*Belli
partitio.*

Bellum, ut ex antecedentibus patet, 1) recte vel *justum* dicitur, vel *injustum*; 2) aliud *defensivum* audit, quo nempe injuria imminens repellitur; aliud *offensivum*, quo injuriam illatam reparamus; (s) 3) aliud *solenne*, quod utrimque ab iis geritur,

que HERTIUS *not. (b)* Add Dn. GUNDL. *J. N. C. VIII. §. 11. 12.* it. que prolixius in *Gundlingianis* ea de re disseruit *Part. V. Observ. I.*

(s) Non itaque omne bellum offensivum dici potest injustum. Controversiam hæc de re motam, ego quidem puto in meram abire logomachiam: Conf. OBSERV. SELECT. HALLENSIS T. IV. *observ VIII.*

(t)

tur, qui summo pollent imperio, & quidem præcedente indictione; aliud minus *jolenne*, in quo momenta jamjam exposita, non deprehenduntur. (r)

§. IX.

Jus belli gerendi in statu quidem naturali cuique læso competit: (s) in civitatibus autem, communis securitatis gratia, illis tantum tribui potest, quibus imperium est delatum. Quare nec inferiores magistratus, sine jussu summi Imperantis, istam exercere facultatem possunt, nisi quatenus hostem ingruentem a finibus repellere necessitas efflagitat.

§. X.

Imperantes autem ceteris partibus, non solum *pro se ipsis*, sed etiam *pro aliis* libere bellum movent. (x) Nempe 1) pro subjectis; 2) pro sociis; 3) pro amicis; 4) pro hominibus quibuscumque, injuria adse-

(r) GROTIUS, L. I. C. III. PUFEND. de J. N. ac G. L. VIII. C. VI. §. 39.

(u) Vide, quæ demonstravi supra P. II. S. I. C. II. §. 13. 19. Add. PUFEND. de J. N. ac G. L. VIII. C. VI. §. 10. 11.

(x) GROTIUS, L. II. C. XXV, PUFEND. cit. cap. §. 12. 14.

(y)

adfectis; adeoque §) & certa ratione pro civibus alius reipublicæ, quos hostiliani- mo ipsorum Imperans injustissime perse- quitur.

§. XI.

*Finis
belli.*

Finis bellorum, qui rectæ rationi pro- betur, nullus alius allegari potest, quam *ut injuria vel avertatur, vel reparetur, at- que in futurum etiam securitati nostræ melius consulatur.*

§. XII.

*De officio
bellige-
rantium.*

Quem quidem finem, uti ob oculos habere belligerantes, neminemque, ubi injuria deficit, bello adoriri, *regula justæ* jubet: ita pariter præcipit, ne quis impe- tantium, altera parte non audita, aut con- tra pactum, quo reipublicæ suæ obligatur, præcipiti consilio ad arma prolabatur; itemque, ne male ordinato apparatu mi- litari cives fidissimos iniquissime adfligat. Præterea & *regula honesti, detori ac pru- dentia*, posita licet injuria, studium pacis potius quam belli, atque adeo leniorem controversiæ per colloquia, per arbitros, aut per sortem componendæ viam, ordi- nate commendant. Quod si autem tu- to bellum negligere non liceat, in eo ta-
men

men ita versandum esse dicitant, ne avaritiz, aut ambitioni, turpique, quz inde oritur, crudelitati ac vindictz cupidini indulgeamus, neque rem coecz alez, ubi consiliis tutioribus agendum erat, imprudentes permittamus. (y)

§. XIII.

Quibus ita expositis, facile decidi questio potest, utrum ex legis naturalis precepto bellum precedere debeat indictio sollemnis? Ego quidem ex dictis concludo, cum, qui se læsum existimat, ad bellum conditionate indicendum omnino obligari, quo alterum adhuc semel moneat, tibi sibi satisfaciat, aut bellum expectet. (z) Quod multo magis locum habebit, quando injuria nondum illata est, sed duntaxat metuitur. Ut autem solenni ritu, & per faciales belli indictio perficiatur, id quidem lex naturalis non precipit, sed gentium arbitrio relinquit. (a)

*De indi-
ctio
belli.*

D d

§. XIV.

(y) Conf. dicta P. II. S. I. C. II. §. 9. seqq.

(z) Quod tamen ita limitandum, nisi læsio eo modo continuata fuerit, ut defensio sine mora sit suscipienda.

(a) GROTI. L. III. C. III. Conf. Dn. BUD-
DEI

§. XIV.

De re-
pressa-
liis.

Cum ad belli præbida, & repressalia, quas vocant, referantur, de his quoque brevibus hic agendum. Non male autem, meo quidem iudicio, illæ describuntur per actus bellicos, qui auctoritate summorum Imperantium ea ratione exercentur, ut, ob iniuste denegatam vel protractam iustitiam, lædentis reipublice cives eorumque res capiuntur, ac detineantur, donec læsio reparetur. Requiritur verò causam liquidam, eamque alicuius momenti; nec non defectum medi ordinarij, quo jus nostrum persequi queamus. Homines capti instar obsidum detinendi, non autem interficiendi, cum hoc finis repressalium non requirat. Bonæ autem si lædens civitas satis nobis facere pertinaciter nolit, aut lexodari, aut iusto pretio vendi sine dubio poterunt; ita tamen, ut, quod abundat, priori domino reddatur. Cui præterea integrum esse debet, damni, quod ea occasione patitur, reparationem a sua republica postulare. Quibus positis,

DEI Jurispr. histor. specimen: §. 31. seqq.
in select. J. N. ar. G. p. 206. seqq.

(b)

tis, iustitiam repressallarum nemo cum ratione in dubium potest vocare. Non enim profecto iniquum est, ut membro certa ratione imputetur, quod corpus, aut caput peccavit; in primis cum civitas civi ad damni reparationem maneat obligata. Quod si hæc obligationem negligat; non est, quod civis de repressallarum inquirere queratur; sed sui potius Imperantis suave civitatis culpam debet accusare, aut submisse excusare. (b)

§. XV.

Ceterum, ardentè belli flamma, quid in hostem liceat, disceptari novimus. Sed & hic facultas agendi ex fine est æstimanda. *Quid in hostem liceat?* Cuncta enim in hostem licent, quæ ad finem belli legitimè consequendum sunt necessaria. Qui quidem finis non ex solo belli principio dijudicandus, sed & ex causis subnascentibus. Unde, quæ bellum iustum necessario consequuntur, ac sæpe nullo belligerantis voto malitiose consilio, vel innocentes affligunt, calamita-

Dd 2

tos,

(b) GROTI. L. II. C. VII. PUFEND. citi. cap. §. 13. Dn. BUDDEI Philos. pract. P. II. C. V. S. III. §. 5. seqq.

(c)

res, nec huic possunt imputari. Multo magis inde concludimus, pro ratione finis indiguitati, tum *verbis* tum *factis*; tum *vi aperta*, tum *strategematibus* hostem laedi posse. Quibus ita expositis, si jungantur ea, quæ de officio belligerantium paullo ante dixi; specialiores, quæ passim proponuntur, quæstiones de licentia bellica tum *in personas*, tum *in res hostium* sacras vel profanas nec non *usum certigenis armorum*, non difficile est explicare.

(c)

§. XVI.

De acquisitione bellica.

Ad effectum belli refertur acquisitio bellica, qua partim res hostium, partim imperium in victos acquirimus. Quantum *ad res hostium* attinet, eas non posse censerī nullius, quæ cedant occupanti, jam supra demonstravi. (d) Posita vero justa belli causa, pro ratione finis legitimi, quem belligerantes præfixum habere debent, integrum quoque his est, res ho-

(c) Prolixe hac de re: GROTIUS agit *Libro III. non uno capite.* Add. PUFEND. *cit. loco.* §. 16 *seqq.* it. DN. COCCEJUS *disq. de armis illicitis.*

(d) S. I. C. VIII. §. 13.

(e)

hostium occupare, sibi que vindicare. Cum autem hostis eas durante bello recuperare possit; evidentissimum est, plena securitate tum demum gaudere occupantem, si pace firmata jus in res occupatas pacto in ipsum fuerit derivatum. (e) Neque aliud fundamentum, præter pactum in acquisitione imperii bellica est collocandum. (f) Quemadmodum autem in bello solemnī omnis acquisitio publico nomine fieri debet: ita & acquisita reipublicæ atque Imperanti merito vindicanda; nisi quatenus Imperantes juri suo in favorem militum renuntiarunt. Quæ autem sociis prædæ partes cedere debent;

Dd 3

ant;

(e) Hoc & supra loco cit. jam monui.

(f) Quod uti de potestate heri in servum bello captum jam ostendi S. I. C. XIII. §. 3. ita de bellica imperii civilis acquisitione idem infra erit repetendum, cap. de modis acquirendi & amittendi imperii civilis. Quibus positis, missam facimus hypothesin, quæ nonnulli statuunt, dominium & imperium vi bellica acquiri ipso jure belli ac victoria. Vid. Dn. COCCEJI diff. de jure victoria diverso jure belli. §. 23. Sed eod. quæ TRÉVERUS ad Pusend. de off. H. ac G. L. II. C. XVI. §. 13. annotavit.

6)

ant; id a conventionē potissimum pendet. Quæ deficiente, regulæ honesti, decori ac prudentiæ sunt consulendæ. (g)

§. XVII.

*De jure
postlimi-
nii.*

Cum itaque certum sit, atque evictum, in bello capta jus demum stabile ex pacto acquiri; consequitur etiam, hoc deficiente, res ac personas captas, ad limina nostra aut amicorum redeuntes, jure quoque postliminii gaudere, seu priorem statum recipere. (h)

§. XVIII.

*De his
qui in
bello mo-
di sunt.*

Quemadmodum autem hostem, ut ostendimus, lædere, in universum nefas non est; ita tamen a læsionibus immunes esse debent, qui neutrarum sunt partium, quamdiu in eo statu manent. Hunc statum ita vulgo distinguunt, ut alium dicant *neutralitatem generalem*; aliam *speci-*

(g) Conf. de acquisitione bellica GROT. L. III. C. VI. VII. VIII. XIII. XIV. XV. PUFEND. cit. loc. §. 20. seqq. Dn. BUDD. cit. cap. V. §. VI. §. 1-24.

(h) GROT. L. III. C. IX. & XVI. PUFEND. cit. loco. §. 25. seqq. Dn. BUDD. cit. loc. §. 25. seqq. Sed conf. quoq. Dn. THOMAS. ad Huber. de J. C. L. III. S. IV. C. V. n. 12. not. (p) pag. 741. seqq.

specialem: illa est, quæ sine pacto servatur; hæc est, quando quis singulari pacto ad conditionem mediani est obligatus. Hujus itaque *pacti conditiones* ab utraque parte quam sanctissime sunt implenda. Deficiente vero singulari conventionione, ita tamen se gerere debent bello mediani, ne uni parti magis favcant, quam alteri. Sin hos limites migrarint, atque *hosti sine auxilio, vel merces, quibus potentior atque audacior redditur, eidem suppeditent*; et gre ferre nequeunt, si arma & in ipsos convertantur. (i)

§. XIX.

Id vero adhuc inculcandum, statum *De fide belli non efficere, et in pactis cum hoste. servanda.* *mandis eandem fallere, fidemque inde datam violare licet.* Quando enim cum hoste paciscimur, animus hostilis tantisper, quoad hunc actum, deponitur. Quid? quod, si fidem hosti datam, migrare liceret, nullum bellorum finiendorum medium superesset. Servanda itaque fides no-

D d 4

vo

(i) GROTIUS, L. III, G. XVII. Add. C. I. §. 5. Conf. HORNIUS *ad Pufend. cit. cap. §. 7. not. (c) it. De. BUDD. cit. loc. §. 36. seqq.*

(k)

vo pacto firmata hostibus cujuscumque generis; non exclusis *piratis, transfugis, rebellibus &c.* (k)

§. XX.

De induciis.

Ad conventiones bellicas referimus etiam inducias. Quæ cum ipsam pacem sæpe præcedant, ab hac tamen sint distinguendæ; singularem sine dubio meditationem merentur. Sunt vero induciæ ejusmodi *status belligerantium, quo, manente bello ejusque causa, a bellicis actibus ex conventionione, (l) ad tempus est abstinendum.* Harum alia sunt breviores, manente utrimque bellico apparatu; (m) alia longiores, plenæ pacis faciem præ se ferentes; quibus apparatus bellicus utrinque in longius temporis spatium dissolvitur, causa tamen belli manente. (n)

§. XXI.

(k) GROTIUS. L. III. C. XIX. *seqq.* PUFENDORP. de J. N. ac G. L. VIII. C. VII. Dn. BUDD. cit. cap. V. S. VII.

(l) Quando enim actus bellici suspenduntur sine conventionione, *apparentes* tantum ad sunt *induciæ*, nullam obligationem continent.

(m) Quales nonnulli speciatim *armistitii* nomine compellant.

(n) GROTIUS. L. III. C. XXI. PUFENDORP. cit. cap.

§. XXI.

Pace autem proprie dicta bellum tan- *De pace.*
dem ita extinguitur, ut *§ ejus causa ob-*
livioni tradatur. (o) Pacis jus cum jure
belli est conjunctum: atque eodem, quem
de hoc paullo ante expoluimus, modo, ad
normam regularum justı, honesti, decori
ac prudentiæ est exercendum. Pacis
conditiones uti partes cum ratione defini-
unt: ita, easdem integra fide esse implen-
das, ex natura pacti per se patet. Paci
pangendæ sæpe majoris securitatis gratia,
obsides ac pignora nec non *jusjurandum*
interveniant. Nonnumquam etiam sin-
gulares *pacis conciliatores* adhibentur.
Nec minus obtinet, ut & *sponsores* (scu Gua-

Dd 5

ran-

cap. VII. §. seqq. Dn. BUDD. *cit. S. VII. §.*
14. seqq. Add. Dn. GUNDL. *§. N. C. XXXV.*
§. 123. seqq. NB. Extra inducias nullum est
jus commeandi, nisi per modum singularis
concessionis. Solet autem jus commeatus
tum *hominibus*, tum *rebus* concedi; ut si-
ne offensione & damno eant ac redeant.
Rem optime illustravit HERTIUS *diff. de*
litteris commeatus; is. de comensatu litte-
rarum.

(o) De obligatione ac jure ad restanrandam
pacem supra dixi *S. I. C. III. §. 15.*

(p)

randi,) accedant, qui de pacis legibus servandis fidem suam interponant, auxilio ei, qui pacis violatione laesus fuerit, promisso. Pacis servanda obligatio perdurat, donec ab altero *rupta* fuerit, quod duplici modo contingit: *primo*, si alter singulares pacis conditiones migraverit; *deinde* si alia ratione jura nostra turba-
verit. (p)

CAP. XII.

DE
JURE FOEDERUM

§. I.

Conne-
xio,

Quemadmodum bello non minus, quam paci inserviunt foedera: ita & neminem, opinor, dubitaturum esse, quin
jus

(p) GROTI. L. III. C. XX. XVII. PUFEND. L. VIII. C. VIII. Dn. BUDD. cit. §. VII. §. 5. seqq. Ad. OBRECHTI *diff. de sponsor. pacis*. NB. Contingere vero interdum potest, ut *pena conventionalis* addatur; qua soluta, obligatio servanda pacis perdurare debet; licet alter conditiones migrarit.

(q)

Jus pangendi foedera inter partes summae potestatis hic fit collocandum. (q)

§. II.

Est autem foedus *duorum vel plurium* Foederum *summarum Imperantium*, aut duarum vel plurium rerum publicarum *confociatio*, *scriptio*, *singularis commodi gratia pacto firmata*.

§. III.

Foederum non una est ratio. Alia enim 1) dicuntur *vulgaria*, quibus earum *di-* duntaxat nova promissione firmantur, *finctio*, quae jure naturali jam debebantur; alia *singularia*, quae officiis legis naturalis aliquid superaddunt. 2) Alia sunt *aequalia* vel ratione praestationum, vel ratione conditionis utriusque foederati; alia vero *inequalia*, quando vel inaequales foederatorum sunt praestations, vel alter deterioris est conditionis, atque alterius majestatem comiter tenetur colere, ac revereri. 3) Alia sunt *belli*, alia *commerciorum*.

(q) GROTIUS. L. II. C. XV. PUFEND. de off. H. ac C. L. II. C. XVII. ix. de F. N. ac G. L. VIII. C. IX. Dn. THOMAS. J. D. L. III. C. VII.

rum causa perfecta. 4) Alia sunt *personalia*, quæ Principes intuitu suarum duntaxat personarum firmarunt; alia *realia*, quæ civitatum nomine contrahuntur; atque adeo & omnes successores obligant, licet non sint antecessoris heredes.

§. IV.

De officio circa foedera.

Fidem foederibus firmatam violare, uti *regula justæ* prohibet: ita eadem quoque præcipit, ne contra pactum generale vel speciale, quo Imperans suæ reipublice obligatur, aut in oppressionem innocentium, pangantur. Præterea non temere incunda cum pluribus aut longe distantibus sociis; aut nimia potentia sua suspectis; aut longe diversum à nostris rationibus scopum præfixum habentibus; aut cum atheis similibusque aliis; Curandum, ut verbis claris ac perspicuis concipiantur, ac ne quid desit, quod ad eorum firmamentum facere queat; fugienda quoque foedera perpetua: quæ partim *prudentiâ*, partim *regula honesti & decori* commendat.

§. V.

Modi dissolvendi.

Foedera dissolvuntur 1) *morte*, si fuerint *personalia*; 2) *lapsu temporis*, in quod

quod concepta erant; 3) cessante fingulari eorum sine; 4) alterutrius partis perfidia; 5) mutata omnino rerum statu.

§. VI.

Ad fines foederibus sunt sponfiones: *De sponfionibus* quæ sunt pacta ministrorum summae potestatis; de negotiis ad hæc spectantibus, sine tamen hujus mandato, celebrata. Quæ quidem summum Imperantem non obligant, nisi eadem rata habuerit, aut in singularem reipublicæ utilitatem sint concepta. Quod si secus se res habeat, ac minister absolute contraxerit; ipse curet, quomodo satisfiat illis, qui ipsius fidem sequuti fuerunt. (r)

C A P . X I I I .

D E

LEGATIONUM JURE

§. I.

CUM belli pariter ac pacis causa, nec *Commo-*
non *xi.*

(r) Doctrinam de sponfionibus duabus *dis-*
sertationibus Lipsiensibus illustravit Dn. THOMAS, altera de sponfione Romanorum Caudina, altera de Numantina. Conf. STRYCKII *diff. de obligat. Principis ex facto Ministri*. it. Dn. WILDVOGELII *diff. de negligentia Ministri Principem non obligante.* (a)

non speciatim in foederibus conciliandis; insignis sit legatorum usus; operæ pretii omnino erit, & de his nonnulla, ad jus naturæ ac gentium scientia, in medium proferre.

§. II.

Legati
qui, &
quotu-
plices?

De ejusmodi autem legatis præcipue hic sermo est, quos mittunt, qui *summo imperio* aut saltem *analogico* (a) sunt instructi; quales legati sunt *Mandatarii* Imperantium, ad *negotia publica*, horum nomine apud alias Respublicas peragenda, missi. Qui vel primi sunt, vel secundi tantum ordinis.

§. III.

De Le-
gatis
primi
Ordinis.

Legati primi ordinis faciem Reipublicæ mittentis præ se ferunt, ac propterea eodam, quo mittens, honore sunt prosequendi, nisi qua mos ac ratio refragantur.

§. IV.

(a) Huc pertinent status Imperii Germanici. Vid. KULPISII *Comment: de Legationibus Stat. Imp.* it. WICOVEFORT, FURSTENRIUS, PRESBEVTA. *Add. Artic. III. Cap. Carolinæ noviss. Provinciales autem ac municipales legati, jure privatorum reguntur.*

(b)

§. IV.

Secundi vero ordinis Legati representantio characterē atque ejusdem splendore destituuntur, missi propterea, ut sum-^{Is. Secundi Ord.} tibus parcatur, ac negotia facilius ad exitum deducantur, nullis ceremoniarum tri-
eis obstantibus. (b)

§. V.

Utrique sunt vel ordinariis, seu assiduis, ^{De ordi-} perpetua fungentes legatione; vel extra-^{nariis} ordinariis seu temporarii, ad certa tantum ^{& extra-} negotia celerius perficienda missi. Quare ^{ord.} omnino falluntur, qui temporariis legatis majorem præ ceteris auctoritatem, præcipuaque jura tribuere conantur. (c)

§. VI.

Ex utroque porro ordine nonnulli ^{De Ple-} sunt, quibus plena seu libera omnino ne-^{nipoten-} goria tractandi potestas est concessa, ^{tiariis.} Pleni-
potentiarum ob id appellari. Quod nomen qui præcipua dignitatis indicium esse existi-
mant, et eorum profecto sententiam æ-
que solvent, ac prius notati. (d)

§. VII.

(b) HERT. Prud. civil. part. 1. Sect. IX. §. 7.

(c) KULPIS. cit. Præf. cap. II. §. 6. 7.

(d) KULPIS. cit. cap. II. §. 2. HERT. cit.

ibc. FURSTENBERG. de Supremacia &c. cap. 6. (e)

§. VII.

*De hono-
re lega-
torum.*

His quidem omnibus aliquis, ex regulis honesti ac decori, *honus* debetur: quæ autem cuique signa honoris sint demonstra-
stranda, ceteres est ambiguarum disceptati-
onis, nisi partim ad singulares cuiusque
civitatis *mores*, partim ad specialia *pacta*
confugere velis. Quapropter his omissis
duo de legatis momenta, quæ priora sunt,
ad generalia juris naturæ ac gentium prin-
cipia revocabimus nempe eorum admis-
sionem atque inviolabilitatem.

§. VIII.

*De eo-
rum ad-
missione.*

Admissio in genere spectata, volunta-
tis est, non necessitatis, *pendet que tota hæc*
quæstio a regulis honesti, decori atque pru-
dentia. Quemadmodum enim sine pa-
cto nemo cogi potest, ut legatum alteri
mittat; ita & nemo per se proprie obstrin-
gitur, ut legatum accipiat, neque injuriæ
loco haberi potest, si legatus non fuerit
admissus. (e) Multo minus *zgre* ferre
potest

(e) Si vel maxime sine justa causa rejiciatur,
modo omnis absit contumelia. GROTI-
US *de jure Belli ac Pacis* libr. II. cap.
XVIII. §. 3. existimat quidem, *jus gentium*
præcipere, ut admittantur legati, nisi justa
adfuerit rejectionis causa: Sed ni hæc cum
grano

potest imperans, si legatus assiduus, a se missus, non fuerit ab alio receptus. (f)

§. IX.

Posteaquam Legatus est admissus, sal-
tem tacite ipsi quodque *securitas* seu invi-
olabilitas est promissa. Quæ summam
consistit in defensione ab injuriis, in liber-
tate sermonis, in immunitate a foro. *De co-
rum securi-
tate.*

§. X.

Defensio quidem ab injuriis nemini, De de-
tranquillam in Republica vitam transi-
genti, est deneganda: verum legatis co-
rumque comitibus, velut sub publica fide
venientibus, majori profecto ratione de-
betur. *De de-
fensione
ab inju-
riis.*

grano falis acceperis, vix ab errore te im-
munem præstabis. Neque agnoscimus jus
gentium voluntarium, quod & in hac
questione maximo crepat opere Grotius.

(f) GROTIUS *cit. loco* in genere existimat
optimo jure rejici posse, quæ nunc sunt, le-
gationes assiduas; quibus quam non sit o-
pus, doceat mos antiquus, cui illæ ignora-
tæ. Verum KULPISIUS *cit. comment.
Cap. II. §. 14.* in contrariam ivit sententi-
am; quam rationibus, a consensu genti-
um per duo secula petitis, potissimum con-
tra Grotium stabilivit. Quæ quidem con-
troversia facili negotio ex dictis potest com-
poni.

(c)

betur. Quare nec litteræ, quas mittunt legati, vel quæ ad ipsos mittuntur, sine injuria possunt aperiri, nec eorum cursores violari. Ejusmodi securitas durat, etiam si bellum inter Rempublicam, in qua degit legatus, ejusque dominum oriatur ob securitatem generatim concessam: nihil tamen obstat, quo minus tali in casu possit dimitti.

§. XI.

De libertate sermonis.

Libertas sermonis eo minus legato est deneganda, quo magis interest, ut mandata sua exponat, quod sine ista facultate fieri non posset. Quæ tamen libertas debere est usurpanda, nec in licentiam, quævis ebuccinandi, mutanda. Quamvis vitio veri legato nequeat, quod causam Domini ferventius tueri studeat.

§. XII.

De immunitate à foro loci.

Immunitas à foro loci eo ipso legato quoque est permessa, quod tamquam alienæ Reipublicæ Administer est receptus, in quem recipienti ullum competit imperium, nec nulla, quæ inde oritur jurisdictionis, sive civilis dicatur, sive criminalis.

§. XIII.

§. XIII.

Quare si delictum a Legato est admis- ^{Etiā}
sum, per certos gradus est eundum. Si ^{in delictis}
enim delictum ejus est generis, ut *contemni* posse videatur, aut dissimulandum erit, aut legatus e finibus Reipublicæ nostræ excedere jubendus. Sin *atrocius* est crimen & ad malum publicum spectans, permittendus est legatus domino suo, ut eum vel ipse poena afficiat, vel dedat. Quodsi *periculum ex mora* oriatur, sine dubio potest retineri legatus atque interrogari. Sin ipse *vi armata* in nostram insurgat Rempublicam, licebit eum occidere, non per modum poenæ, sed per modum bellicæ defensionis: quippe quod & in ipsum, si adesset, dominum liceret.

(g)

E c 2

§. XIV.

(g) Errat itaque FURSTENERIUS, qui legatos inviolabiles pronuntiat, licet hostium induant personam. Interim tamen regulæ prudentiæ & hoc in casu sunt attendendæ. Conf. Dn. COCCEJI *dissert. de legato sancto, non impuni*. it. *Kemmerichs Grund-Sätze des Völker Rechts von der Unverletzlichkeit der Gesandten 1710*. it. ANONYMI *Beweis, daß es nicht wider das Völker-Recht seye, bey gewissen Umständen einen fremden Gesandten zu arrestiren.* 1717.

(h)

§. XIV.

Utrum jus talionis hic locum habeat? Post hæc & ea jam excutienda quæstio est, utrum *jure talionis interfici possit legatus, vel aliis modis male mulctari?* Quæ quidem quæstio omnino neganda erit, nisi ipse legatus facinoris particeps fuerit: quippe quo casu de injuria queri non potest. Extra hunc verò casum, ex admissione jus habet ad securitatem postulandam.

§. XV.

De eorum familia & vasis. Quantum ad *familiam* Legatorum, eorumque *vasa* attinet, hæc sancta sunt accessorie. Quare nec res eorum pignoris causa, vel alio modo occupare licet iudicibus, aut scrutari vestigatoribus civitatum; nec ob delicta eorum, qui ad familiam pertinent, alio potest modo agi, quam ut delinquentes dedat legatus: quod si id facere nolit, eadem sunt observanda, quæ paullo ante de ipso legato delinquente in medium sunt prolata. Quando autem jure Gentium legatis *jus asyli* in suis ædibus tribuitur, id sine limitatione non est admittendum. (b)

§. XVI.

(b) Vid. GROTIUS *cit. cap. §. 8.* Conf. KULPIS. *cit. comment. cap. XXI. §. 11. 13.*

§. XVI.

Quibus ita expositis, uti de officio Im- *De offi-*
 perantium, *ad quos mittuntur* legati, vel ^{cio.}
 per quorum territoria transeunt, jam ab-
 unde constat: ita *mittentis* officium pau-
 cis adhuc explicandum. Quantum ad re-
 gulam justitiae, nihil novi hic occurrit. Re-
 gulæ vero honesti, decori ac prudentiæ
 suadent, ut tales mittantur, qui non solum
 negotiorum, sed & morum istius gentis,
 ad quam mittuntur, statusque civitatis at-
 que aulæ, nec non rituum & cærimonia-
 rum peritia sint instructi; nec genti aut
 Principi, aut ejus ministris odiosi, affabi-
 les item atque humani; opibus quoque,
 si haberi possunt, abundantes ac genere
 non omnino ignobiles. Si forte lites ob
 præcedentiam metuantur, mittendi lega-
 ti secundi ordinis. Denique cavendum
 mittenti, ne, ob levem quamcumque in-
 juriam, quam forte passus est legatus, ni-
 mis excandescat.

CAP. XIV.
DE
DIVERSA RERUM PUBLICA-
RUM FORMA.

§. I.

*Conno-
xio.*

POSTEAQUAM ipsam majestatem cum suis partibus consideravimus, necesse est, ut & tandem de diversa rerumpublicarum forma agamus.

§. II.

*Unde
forma
cognos-
catur.*

Quæ quidem omnium optime cognosci potest, si *subjectam imperii* speciale ob oculos sistamus ac probe investigemus. Oportet enim majestatem inesse subjecto. Hoc vero in *commune ac speciale* distinguitur. (a) Quando enim in genere & confuse de subjecto majestatis quæritur; respon-

(a) Vid. GROTIJ. *de J. B. ac P. L. I. C. III. §. 7.* Add. PUFEND. *de J. N. ac G. L. VII. C. VI. §. 4.* Cavendum autem est, ne absurde inde concludamus ad duplicem in republica majestatem, alteram realem, alteram personalem; quem errorem supra jam profligavimus.

(b)

responderi potest, illud esse quamvis civitatem, quippe quæ subjectum commune constituit. Si vero quis distinctius querere pergat, quis in hac vel illa civitate speciatim imperio polleat? subjectum speciale est indicandum: quod uti vel una persona, vel plures constituunt, ita inde apparet, quæ sit hujus civitatis forma.

§. III.

Videtur autem commodissima rerum publicarum hæc esse distinctio, ut quædam dicantur *regulares*, quædam *irregulares*, atque hæc rursus in *simplices* & *compositas* distribuantur. Rerum publicar. distinctio.

§. IV.

Regularem rempublicam dicimus, *que ad regulam politicam exacte quadrat*, ut in uno corpore civili unus sit spiritus, unaque civitas uno imperio regatur. *gularis vel irregular.*
 Quæ sit irregularis, ex opposito facile intelligitur. (b)

§. V.

Simplicis reipublicæ nomine illa venit, quæ ex *meris individuis ac familiis*, *una* Que simplex vel composita.

Ee 4

(b) Specialius, tamen & de ea deinceps dicendum, (c)

unam eandemque civitatem constituentibus, constat. Cui opponitur ea, quæ composita est ex pluribus una civitatibus, singulari nexu imperii ita inter se junctis, ut unius reipublicæ speciem præ se ferant, quamvis reapse maneant distinctæ. (c)

§. VI.

Regu-
lar. sim-
plic.
quot?

Regularium simplicium tres sunt respublicæ. Monarchia, Aristocratia, Democratia.

§. VII.

Monar-
chia
quæ?

Monarchiæ vocabulum unius salius impe-

(c) Descriptio systematis, quam PUFEND. de off. H. ac C. L. II. C. VIII. §. 13. exhibet; obscurior est, nec differentiam, quæ inter systema & commune foedus civitatum intercedit, exponit. Est ea hunc in modum concepta: *Systemata civitatum vocamus, ubi plures perfectæ civitates aliquo peculiari vinculo ita connectuntur, ut ipsarum vires fere pro unius civitatis viribus haberi queant.* Quæ verba nil obstarent, quominus v. gr. Austriam atque Hispaniam, (inde ab obitu Caroli V. usque ad initium hujus sæculi, peculiari quodam foedere ita connexas, ut earum vires, communibus hostibus fere semper junctis consiliis oppositæ, pro unius civitatis viribus haberi potuerint,) systema quoddam rerum publicarum efficere quis arbitretur.

(d)

imperium denotat, seu civitatem, in qua *jas, vis ac potestas imperii, uni soli personæ physicæ competit.* Qui itaque rerum in ejusmodi civitate potitur, non potest alium, salva forma monarchica, ad consortium imperii admittere. (d) Cavendum tamen est, ne eum, qui præcipua dignitate, & Monarchæ splendore ac *titulis,* aut *administrationis auctoritate* eminet, Monarcham proprie dictum mox arbitremur. Attendendum potius est, utrum ipso summi imperii jure in cives quis polleat; quocumque demum axiomatico fuerit conspicuus. (e)

Ec 5

§. VIII.

(d) Quod Romæ quondam contigit, ubi duo, aut tres aliquoties Imperatores indivisum tenuere imperium. Conf. PUFEND. *disser.* de forma reip. Romana, it. de J. N. ac G. L. VII. C. V. §. 15.

(e) Qui titulis se decipi patiuntur, non possunt non falsa de statu rerum publicarum iudicia ferre. Quale quid BODINO contigit, qui de republ. L. I. C. VIII. primos Imperatores Romanos monarchica potestate conspicuos fuisse negat, eo, quod Principes fuerint appellati. Melius ea de re sentit GROTIUS L. I. C. III. §. 10. n. 3.

S

§. VIII.

Alia absoluta.

Monarchia ve est absoluta, vel limitata. Illa est, quando solius Regis arbitria summa rerum est permessa, ita ut omnes atque singulas summi imperii partes, ne mine concurrente & consilia impediente, habeat atque exercent. Absolutum ejusmodi, arbitrarium atque ab omni lege fundamentali liberum imperium vulgo *Soverenitatis* vocabulo solent insignire. (f)

§. IX.

Alia limitata.

Limitata est, quando summa Monarchae potestas singulari conventionione circumscribitur ac temperatur; ita, ut ad normam legum fundamentalium jura Majestatica ipsi sint usurpanda, atque in eorum exercitio praeterea alicubi concilium populi sit convocandum; (g) alibi vero etiam
col-

(f) Dicendum hic etiam de *herilibus* Monarchiis, quas distinguunt ab absolutis. Vid. HERTIUS in *Elem. prud. Civ. P. I. S. XI. §. 5.* Sed Conf. Dn. THOMAS. in *not. ad Huber. de J. C. L. I. S. VII. C. III. n. 20. it. Dn. GUNDE. J. N. C. XXXVI. §. 22.*

(g) Exemplo esse potest concilium populi in Anglia, quod *Parlamentum* vocant.

(h)

collegium procerum, continuo praesens, admittendum. (b) Quibus ita constitutis, modo cetera recte se habeant, forma reipublicae monarchica non concidit, nec Rex sola illa Majestatis limitatione summum habere imperium desinit. (i)

§. X.

Aristocratia est, quando integravis ac ^{De Aristocratia.} potestas summi Imperii uni soli collegio ^{stocra-} optimatum competit. Quod ubi ita se habet; aristocratia adest, licet necessitas optimatibus imposita sit, certis in negotiis, ad summi imperii ambitum pertinentibus,

(b) Ejusmodi collegium in Polonia constitunt senatores, quos vocant, *residentes ad latus Regium.*

(i) Conf. GROTIUS L. I. C. III. §. 16. it. PUFEND. de J. N. ac G. L. VII. C. VI. §. 10. seqq. Frustra HOBBIUS de cive, non uno in loco, contendit, Monarcham absoluto semper imperio pollere debere. KULPISIUS quoque in *colleg. Grot. cit. cap. thes. X.* cum aliis firmanum imperium, nulla urgente necessitate, cum absoluto confundit; cum tamen *summum* denotet absentiam superioris, aut equalis in eodem ordine; *absolutum* autem significet facultatem, suo judicio atque arbitrio imperium administrandi.

(k)

tibus, *populi consensum* requirendi; (k) aut quamvis eidem collegio *Optimatum Princeps quidam*, majoris forte splendoris atque auctoritatis gratia sit præfectus. (l) Qualis Princeps, utut præcipuo mactetur honore; atque etiam ad res magni momenti, quæ difficulter a pluribus curantur, expediendas adhibeatur; ac non pauca, quæ ab universo collegio profiscuntur, ipsius nomen præ se ferant; reapse tamen nil nisi *præcipuus magistratus est ac minister reipublicæ*, cui rationes rerum gestarum reddendæ iudiciumque civitatis subeundum.

§. XI.

De Democra-
tia.

Democratia, (quam alii & Politiam vocant,) est, quando *jus, vis ac potestas summi imperii ad universum spectat populum,*
in

(k) Cujus rei exemplum occurrit *in reipublica Romana*, qualis erat ejusdem status, expulsi Regibus, antequam Tribunitia potestas emergeret. Conf. HERT. *dissert. de special. Roman. German. Imperii rebus-publ. Sect. II. §. 24.* Ubi alia offensus aristocratiarum ita, circumscriptarum exempla.

(l) Ejusmodi Principem *in reipublica Veneta*prehendimus.

(m)

in unum concilium collectum. (m) Non tamen existimandum est, ac si omnia ac singula populi membra summæ rerum in democratia præsent. Tantum enim abest, ut ita statuam, ut potius certo persuasus sim, *patres duntaxat familias, qui ejusmodi civitatem primi constituerunt, aut in horum locum ac jura successerunt,* jure imperii pollere; reliquos vero omnes a jure suffragii atque exercitio summi imperii esse excludendos. Quid? quod in democratiis usitatissimum est, ut populus, ne frequentioris congressus molestia nimis affligatur, quotidiana atque ordinaria negotia certo *senatui* permittat; salva nihilominus sibi ipsa summi imperii vi ac potestate. Quo casu ejusmodi senatus, quamvis eximia dignitate atque auctoritate inter cives fulgeat; non tamen, nisi *vicariam atque delegatam exercet potestatem;* quam populus non solum pro lubitu circumscribere; sed & omni-

(m) Notandus hic HORNIUS, qui *L. III. de civitate* proprie dictam civitatis formam, democratix denegavit. Conf. PUFEND. *de J. N. ac G. L. VII. C. V. §. 5.*

(n)

omnino tollere potest. Unde & universali patrum familias congressu instituto, vicaria ista senatus potestas expirat; soluto conventu, nisi quid novi intercesserit, continuo reviviscens. Pari quoque ratione in democratia contingere potest, *ut unus quasi Principis auctoritate praesit universis.* (n)

§. XII.

*De re-
publica
mixta.*

Sunt & inter scriptores politicos non pauci, praeter enumeratas reipublicae regularis simplicis species, aliam adhuc comminiscens, quam mixtam appellant rempublicam. Hanc putant felici temperatura ex prioribus ita coalescere, ut in *mixta ex Monarchia & Aristocratia* Rex & senatus; in *mixta ex Monarchia & Democratia* Princeps ac populus; in *mixta ex Aristocratia & Democratia* optimates cum populo; denique in *mixta ex Monarchia, Aristocratia & Democratia*, Rex, senatus ac populus, suo quilibet jure, summi imperii partes exercent. Verum cavendum hac in re sollicitè, ne quis rei-
publi-

(n) Vid. HERT. *elem. prud. civ. P. I. S. X. §. 19. seqq.*

*publicæ administratione, ab ipsa ejusdem forma forte diversa, decipiatur, ac novam ea propter formam effingere studeat. Non enim externum duntaxat administrationis schema intueri sufficit; sed accuratius potius investigandum, penes quos ipsum jus ipsaque potestas summi imperii deprehendatur, ut justum de forma reipublicæ judicium ferri queat. Quod si itaque appareat, ipsum jus, ipsamque vim ac potestatem imperii esse penes unam personam physicam, aut penes unum optimatum collegium, aut penes unum populi concilium; externum administrationis schema non potest obstare, quo minus priori casu Monarchiam, altero Aristocratiam, tertio Democratiam adesse pronuntiemus. Sin reapse *divisum alicubi ipsum jus imperii* deprehendamus; manifestum adest indicium, non regularem mixtam, sed potius irregularem esse talem rempublicam. (o)*

§. XIII.

(o) Mirum itaque, & celeberrimum KULPISIUM vulgaris hypotheseos de republica mixta patronum, insigni animi contentione, egisse in *Coll. Græc. L. I. C. III. thes. XI. it. in Comment. ad Monzamb. C. VI.*

(p)

§. XIII.

De sy-
stem.
rerump.

Missis simplicibus, ad compositas re-
vertimur republicas, supra (p) jam de-
scriptas, nunc specialius explicandas.
Ut autem ea, quam indicavimus, conjun-
ctio oriatur, *systematico opus est foedere*,
quo plures civitates arctissimo nexu ita
coalescant, ut unius in posterum reipubli-
cae speciem praeseferant, quamvis jura
distinctae reipublicae salva sibi qualibet at-
que integra servaverit. Quodsi foedus
ejusmodi deficiat, & vel plures respubli-
cae vere in unam coalescant; (q) vel una
instar appendicis (r) aut provinciae (s) al-
teri accedat; vel etiam plures ac distin-
ctae republicae fortuito successionis jure u-
ni

(p) Vid. §. 5. h. cap. Conf. GROTIUS. L. I. C. III.
§. 7. Ubi & ostendit, ARISTOTELEM
quoque discrimen, quod inter simplices
res publicas & systema plurium rerumpu-
blicarum intercedit, recte agnovisse.

(q) Ut Sabini quondam juncti Romanis.

(r) Exemplo esse potest Navarra regnum,
cum aliis provinciis, Galliae junctis.

(s) Cujus rei exempla varia prostant in histo-
ria Romana.

(r)

ni capiti subieciantur; (t) Systema plurium rerum publicarum proprie dictum non adest. Foedus autem illud oportet esse perpetuum; cum temporaria conjunctio systematis nomine indigna videatur. Sufficit vero foedus ex intentione & voto paciscentium rerum publicarum debere esse perpetuum; quamvis Deo providente, praeter spem, eventus voto non respondeat. (x) Quid enim, quae in rebus humanis absolute potest esse perpetuum?

§. XIV.

Systematum *quatuor* tantum genera *Quot genera systematum* commodè statui posse videntur. Scilicet 1) distincta regna foedere systematico jungi possunt; (x) 2) distincta Ari-
F f sto-

(t) Ut quondam *Anglia Scotiaque Regna*, tandem foedere sub Regina Anna in iusti systematis formam redacta. Sic nec *varia regna ac provincia, qua Austriaci parent*, ob foederis, de quo diximus, defectum, iusti systematis rationem habent.

(u) Uti quondam contigit *tribus Regnis borealibus*, foedere systematico Calmarionensi anno 1396. arctissime conjunctis.

(x) Exempla jam ante adduxi. Quibus addi potest exemplum *Lithuanis cum Polonia sub Jagellone juncta.* (y)

stocratiz; 3) distincta Democratiz; 4) distincta Aristocratiz ac Democratiz. (y) Ut enim Regnum cum aristocratiis aut democratiis in unum systema coalescat, fieri haud posse opinor. (z) Scilicet fundamenti loco in systematibus habendum, ne una civitas præ altera sese nimis efferre studeat, & ut dispares interopes par sit omnium libertas: id quod in conjunctione regnorum cum liberis rebus publicis frustra sperabis. (aa)

§. XV.

(y) In liberarum rerum publicarum ita junctarum classe collocamus *Græciam antiquam*, *Belgium foederatum*, nec non *Helvetiam*.

(z) Quod vero de *Gallia Angliaque regnis* forte cuiquam in mentem venire posset, quorum cum provinciis *Belgii foederati* copulandorum consilia quondam agitata fuerint; id profecto huc non pertinet. Fœdus enim, quod *Belgæ*, ab *Hispanis* separati, quondam quæsierunt, *Galliæque atque Angliæ Principibus* obtulerunt, clientelare potius vocandum quam systematicum. Quid? quod & rem eventu caruisse constat.

(aa) Dicendum hic etiam de potiori causa impulsiva systematum, nec non de consiliis ad earum durationem facientibus, ut & de modo administrandi in illis imperiis. Qua

§. XV.

Præter hæcenus expositas rerumpu- *De irre-*
 blicarum formas, dari quasdam, ad re- *gulari*
republ.
 gulam politicam non quadrantes, ex su-
 pra dictis jam patet. (bb) Has vero ir-
 regularium vocabulo, quo & supra usus
 fui, recte appellari, quilibet a partium
 studio alienus facile intelliget. Quando
 enim *in statu monarchico* potestas summi
 Imperantis adeo arctis limitibus est in-
 clusa, ut ordines facultate gaudeant,
 vel optima consilia impediendi, cumque,
 ut ab instituto resiliat, cogendi; quis,
 quæso, regulam, quam de unitate impo-
 rii necessaria supra adstruximus, in ejus-
 modi republica deprehendet? (cc) Quam
 & *e dyarchiis ac triarchiis* exulare ma-

F f 2

ni-

Qua de re mentem meam jam exposui in
dissert. Gryphiswaldiæ a me habita, *de*
caussis malorum, quibus cum Polonia re-
gnum conflictatur. §. 13. seqq. Conf. PU-
 FFND. *dissert. de Systematibus civitatum.*
 HERTII *elem. Prud. civil. P. II. S. XVI.*
 XVIII.

(bb) Vid. §. 4. b. cap.

(cc) Judicium hinc ferri potest de *Angliæ,*
 nec non *Poloniæ* statu. Conf. *dissert.*
meam paulo ante citatam.

(dd)

nifestum est. (dd) Eodem modo se res habet, quando *in libera quadam republica* senatus ac populus summo utrinque jure, atque ita, ut neuter alteri vere sit obnoxius, imperii partes administrant. (ee) *Systematis autem irregularis* loco censi potest respublica, quæ inter Monarchiam limitatam ac systema plurium rerumpublicarum est media, statu Monarchico ita pedetentim mutato, atque imperii vinculo ita laxato, ut ex una plures surrexerint civitates, foedere inæquali cum capite, sub antiquis schematibus, conjunctæ. (ff) Ejusmodi vero res-

(dd) Illustrationis gratia in subsidium historia Imperatorum Roman. vocari potest. PUFEND. de J. N. ac G. L. VII. C. V. §. 15. HERTIUS *cl. prud. civ. P. I. S. XI. §. 6. 7. it. P. II. S. XIII. Conf. supra §. 7. lit. (d) b. cap.*

(ee) Quæ reipublicæ Romanæ facies erat *post exortam tribunitiam potestatem*: tunc enim civitas ista inter Aristocratiam & Democratiam tantisper fluctuabat, donec ad monarchicam formam rediret. Conf. PUFEND. *de forma reip. Rom.*

(ff) Qualem verè præ se ferre faciem *Imperium nostrum Germanicum* pauci hodie du-

respublicas irregulares, quò minus *in morbidarum*, & quidem vitio status talium, *classe* collocem, nil profecto mihi videtur ob stare. (gg)

§. XVI.

Nempe morbi quidem rerum publicarum non unius sunt generis; (hh) non tamen errare puto, qui ad duas eosdem classes revocant, aliosq; ex vitiis hominum oriri pronuntiant. (ii)

§. XVII.

Vitia hominum sunt, quæ in bene ordinatis

F13

Quæ vitia ho-

dubitant. Conf. PUFEND. Monzamban. it. differt. de republ. irreg.

(gg) PUFENDORFFIUS equidem, ex ratione politica, ut adversariorum iram, quam sua de statu Germaniæ sententia accendebat, aliquo modo temperaret, irregularem rempublicam prudenter magis, quam ex vero à morbida distinxit. Sed cordate deinde veritatem hac in re professus est Dn. THOMAS, tum in notis Monzamb. tum in jurispr. div. L. III. C. VI. §. 40. seqq.

(hh) Vid. HERT. elem. prud. civ. P. II. §. I.

(ii) Quos inter præ ceteris nominandus PUFENDORFFIUS de Off. H. ac C. L. II. C. VIII. §. 3. seqq. it. de J. N. ac G. L. VII. C. V. §. 10. 11.

(kk)

*minum:
qua sta-
tus?*

dinata republica, a pravis tum Imperan-
tium, tum subjectorum adfectibus, offi-
cii rationes atque adeo & communem
reipublicæ felicitatem impediuntibus, ori-
gines ducunt. (kk) *Vitia* autem *status*
vocamus, quæ in ipsa reipublicæ constitu-
tione atque assignata eidem forma in-
sunt; ita quidem, ut vel initio statim con-
stituentium imprudentia in civitatem sint
introducenda; vel etiam successorum negli-
gentia, aut casu & calamitosi temporis
tractu in bene ordinatam rempublicam
irreperunt.

§. XVIII.

*Potiora
status
vitia.*

Potiora status vitia sunt sequentia: I)
Perpetua atque habitualis civium discor-
dia, in constantia partium studia atque a-
pertas factiones turbasque internas rei-
publicæ corpus scindens, atque adeo u-
nionem voluntatum ac virium necessari-
am

(kk) A vitiis Imperantium singularia non
pauci civitatibus nomina applicare solent.
Nempe morbida vitio Imperantis Monar-
chia ipsis *tyrannis* audit; Aristocratia,
vitiis Imperantium laborans, *Oligarchia*;
denique democratia, pari labe infecta,
ochlocratia.

(a)

am plane destruens. 2) Quando imperium ita male est ordinatum, ut decreta eius, quæ leges vocantur, ad populi genium præsentemque reipublicæ conditionem non possint accommodari, ac vel aliunde sint accepta, vel saltem obsoleta, atque ad finem mutatæ reipublicæ non conducentia. 3) Si imperium limitibus justo arctioribus sit circumscriptum, ut ad cives in officio continendos finemque reipublicæ consequendum non sufficiat. 4) Si collegium aliquod Procerum, aut populi concilium, in partes reipublicæ gubernandæ vocatum suffragia eo modo ferat, ut vel res plane exitu careat, vel saltem negotia tarde ac difficulter expediantur. 5) Si hereditaria atque electitia regna, aut talia, quorum cives perpetuis utrinque odiis flagrant, foedere systematico jungantur. 6) Si in conjunctione rerum publicarum systematica pactis rite firmatis cautum non fuerit, quo minus diversa plurium civitatum jura atque instituta possint ab Imperantibus misceri & sensim conculcari.

CAP. XV.
DE
MODIS ACQUIRENDI ET
AMITTENDI IMPERII,
NEC NON
DE TUTELA REGIA.

§. I.

Conne-
xia.

MAjestatis, seu summi imperii causam proximam esse consensum populi, pacto declaratum, supra jam demonstra- vimus. Quoniam autem hic consensus non una ratione elicitur, hinc & de mo- dis acquirendi imperii diversis agen- dum: (a)

§. II.

Distin-
ctio
mod. ac-
quir.
imper.

Modos acquirendi imperii in origina- rios primum ac derivativos, deinde u- trosque rursus in violentos ac pacificos possumus distinguere.

§. III.

Quis
modus
origina-
rius?

Modum acquirendi imperii origina- rium dicimus, quo imperium in aliqua societate primum constituitur; ita ut o- rigo

(a) Conf. PUFEND. De J. N. ac G. L. VII. C. VII.

(b)

rigo imperii, in hanc civitatem primum
indroducti, ab hoc actu acquisitionis sit
derivanda.

§. IV.

Derivativum autem acquirendi impe- *Quis de-*
rii modum istum actum pronuntiamus *derivati-*
vus?
quo imperium, in civitate quadam consti-
tutum ab hoc in alteram transfertur ac
derivatur.

§. V.

Violentus acquirendi imperii modus *Quis vi-*
est, *quando violentia bellica in subsidium olentus?*
vocata, *quis populi consensum elicit,* si-
bique hac ratione imperium paravit.

§. VI.

Qua violentia bellica omnino quie- *Quis pa-*
scente, *si liber a populi voluntate alicui im-*
perium fuerit acquisitum, pacificus adest
acquirendi imperii modus. (b)

Ff. 5

§. VII.

(b) PALTHENIUS in dissert. de dethroni-
fatione medium constituit inter violentum
& pacificum acquirendi modum, quem
mixtum vocat. Quando nempe Imperan-
ti sceptrum quidem vi excutitur; novus
vero Imperans libera populi voluntate as-
sumitur. Mihi vero & hic acquirendi
modus reapse violentus videtur.

(c)

§. VII.

*De justa
occupa-
tione
imperii
violenta.*

Uti vero evidentissimum est, neminem in societatem liberam imperium eo obtentu, ac si res nullius esset, occupando sibi posse vindicare: (c) ita profecto, ut violentia bellica imperium legitime acquiratur, *justam oportet præcessisse belli causam.* Quæ si adfuit, victor, pro ratione finis, quem, dictante recta ratione, præfixum in bello habere debuit, facultate quoque gaudet, victos ad imperium suum agnoscendum cogendi. Quo casu tamen *violenta bellica viam duntaxat ad imperii fasces sternit: ipsum autem jus imperii a consensu devicti populi est derivandum.* Qui consensus quamvis ipsa subjectione atque admissione imperii victoris, ceu facto claro ac perspicuo, satis declaretur; melius tamen est, ut consensus disertus, solenni homagio declaratus, accedat, atque hac ratione novo Imperanti imperium rite confirmetur.

§. VIII.

De usurpatore.

Quod si *injusta invasione* quis imperium

(c) Dixi ea de re supra P. II. S. I. C. VIII. §. II. not. (l)

um occupavit, usurpator dicitur: cujus imperium tum demum legitimum redditur, quando illis, quorum interest, civitatem hoc modo occupatam non fuisse; injuriæ illatæ nomine satisfecit, atque suo consensu ipsorum imperium retinet. (re)

§. IX.

Ad pacificum acquirendi imperii modum libera refertur electio, qua populus ^{De electione.} communibus suffragiis imperantem sibi constituit. Hæc locum habet tum in

republica primario formanda, tum ut in aliis imperium continetur: itemque non solum in Regnis; sed & in Aristocratiis; ita quidem, ut utrobique vel pura esse possit, vel successione quadam temperata.

(d) Electionem autem vel ipse populus univversus, vel ejus nomine certum aliquod collegium, legitima eligendi potestate instructum, potest perficere.

§. X.

(cc) Conf. GROTIJ. L. I. C. IV. §. 15. seqq. it. PUFEND. de J. N. ac G. L. VII. C. VII.

§. 4.

(dd) Vid. HERT. elem. prud. civ. P. I. Sect. X. §. 9. 10. 14. 15. it. ejus diff. de special. Rom. German. Imper. rebus publ. Qui utroque loco rem exemplis illustrat.

(e)

De suc-
cessione.

§. X. Non minus pacifica ratione imperium acquiritur, quando ex voluntate populi Imperantes jure successionis idem nanciscuntur. Quod itidem non solum in Regnis sed & in Aristocratibus (e) contingere posse constat. (f) Quid? quod & in Democratibus quaedam successionis ratio habetur. Descendentes enim filii patrum familias, qui primi imperio in democratia potiti sunt, horum etiam jura ac locum successionis ordinarie occupant. (g)

§. XI

Fun-

(e) HERTIUS cit. §. X. §. 8. ubi it. cit. differt.

(f) Disceptari vero solet, utrum successio praestet electione, an vero electio successione? Quam quidem litem ego inanem esse existimo; cum utraque suis excellat commodis; sed suis etiam malis ac defectibus, quibus singularia remedia quaerenda, laborent. De quibus conf. HERT. cit. elem. prud. civ. P. II. Sect. V. VII.

(g) Contingere tamen etiam potest in democratibus, ut novi cives electione in numerum comperantium civium originarium cooptentur.

(h)

Fundamentum successionis est *woluntas populi*; qua deficiente, successionis ^{*Ejus fundamentum.*} jure nemo sibi imperii fascesumere potest. Quamvis enim Imperans, qui jure victoriæ Regno potitus est, novis quoque subjectis initio statim pactum de successione imperare potuerit; si tamen id neglexit, familia ipsius nullum succedendi jus est quaesitum; verum, hoc imperante defuncto, liberæ electioni locus est relinquendus.

§. XII.

Successionem, quæ in Regnis ac Principatibus obtinet, varie distinguunt. ^{*Distin-*} Aliam enim, ajunt, proxime ^{*ctio.*} ex *antecefforis dispositione* oriri; aliam *sive hac* locum habere. Hinc alia dicitur testamentaria, alia conventionalis, alia ab intestato talis: quarum hanc in hereditariam simplicem & linealem, atque hanc rursus in agnaticam & cognaticam partiuntur.

§. XIII.

Quemadmodum autem, quid de *te-* ^{*De testa-*} *stamentaria* successionem sentiam, supra ^{*mentaria & convent.*} *mentariam* exposui: (b) ita & ex paullo ante ^{*di-*}

(b) P. II. S. I. G. VIII. §. 23. 36. 37.

dictis jam patet, nec Imperantem *con-*
ventione jus in regnum succedendi, sine
voluntate populi in alium posse transfer-
re. Nihil tamen refert, siue ista volun-
tas populi conventionem præcesserit, siue
eam comitetur, siue subsequatur. (i)

§. XIV.

De here-
ditaria
simplici.

Quod ad successionem ab intestato at-
tinet, in memoriam superius demon-
strata pariter sunt revocanda. (k) Quibus
positis, nullum est dubium, quin popu-
lus conventionem cum Principe firmata
ordinem succedendi in vulgaribus here-
ditatibus receptum admittere queat, ita,
ut proximior gradu remotiorem excludat.
(l) siue linearum distinctione.

§. XV.

De line-
ali.

Quoniam vero non leves inde oriri
con-

(i) De regno patrimoniali dixi P. II. S. II.
C. II. §. 13.

(k) Vid. cit. cap. VIII. S. I. §. 24. 38.

(l) Quod tamen cum aliqua limitatione,
quam salus regni requirit, intelligendum
esse, recte monet PUBEND. de Off. H.
ac. C. L. II. C. X. §. 9. it. de J. N. ac G.
L. VII. C. VII. §. 12. ibique HERT. in
not. Conf HUBER. de J. C. L. I. S. VII. C.
VII. ibique Da. THOMAS. adnotat.

(m)

controversiæ possunt; (m) hinc successio potius linealis, cum *jure primogenituræ* conjuncta, non paucis arrisit gentibus; secundum quam, qui *in linea proximiori gradu* est *proximior*, tantum succedit, exclusis omnibus in linea remotiori existentibus, quamvis sint gradu forte proximiores; nec non iis etiam postpositis, qui gradu in proximiori linea pares sunt, ætate autem minores. (mm) Quæ successio linealis quando ita est definita, ut & foeminae atque ex his suscepti admittantur, *cognatica*, seu *Castiliana* vocatur. (n) Sin tales omnino excludantur

(m) Conf. & hic PUFEND. *cit. loc. §§. seqq.* nec non HUBER. *cit. loc.* Add. GROTI. *L. II. c. VII. §. 28. seqq.* ibique TESMARUM.

(mm) Quo casu nati minores *appanagio*, quod vocant, gaudent. Vid. SCHILTERI *dissert. de paragio & appanagio*, cui HERTIUS *dissert. de commentitia paragii atque appanagii distinctione in Rom. Germ. Imper.* opposuit. Sed conf. Dn. THOMASII *vindicia illius distinctionis.* Add. Dn. DE LUDOLPH *de jure primogeniturae.*

(n) Qualis in plerisque Europæ regnis obtinet.

(o)

tur a successione, *agnatica*, seu *Salica* audit. (o)

§. XVI.

De tutela regia.

Successione in regnis stabilita, haud raro evenire solet, ut succedat impubes, adeoque de tutela Regia disceptetur. (p) Verum & hic *voluntas populi* est attendenda, quæ sæpe *maternæ tutelæ* locum relinquit potiorē. (q) Quæ si deficiat, *testamentariam* quidem alii admittunt, (r) sed quam debile hic adsit fundamentum, si a consensu civitatis recedas, ex supra dictis est manifestissimum. Pari modo & de argumentis, quæ pro *agnaticis proximioribus* in medium proferruntur, pronuntiandum. Quare ad cavendas controversias tutissimum est, ut conven-

(o) Quæ in Gallia est recepta.

(p) Vid. HERT. *dissert. de tutela Regia* it. ejusd. *elem. prud. civ. P. II. S. V. §. 24. seqq.* Conf. HUBER. *de J. C. L. I. S. VII. C. VIII.* ibique Dn. THOMASII *adnotat.*

(q) Quam & in Gallia observari constat, licet *agnatica* ibi vigeat successio.

(r) Quos inter etiam est HERTIUS *cit. dissert.*

ventionibus publicis cuncta accurate definiantur, ac simul suis *tutela terminus* statuatur.

§. XVII.

Modis acquirendi imperii expositis, *De modo* ostendendum quoque est, quibus modis *dis a-* idem amittatur. Horum numero *mitten-* sequentes potissimum recensentur: 1) *di impo-* *rii.* interitus civitatis; 2) mors Imperantis; 3) voluntaria abdicatio; 4) derelictio; 5) *(s)* iusta imperantis remotio. *(s)*

§. XVIII.

De primo ac secundo modo nullum *De morte, & interitu* cuiquam esse dubium potest; cum *civis.* extincta omnino republica, necesse sit & Majestatem Imperantis expirare; itemque morte homines cuncta jura suo necessario amittant.

§. XIX.

Voluntaria quoque *De abdicatione* abdicazione Imperii fascis, vel *invisis civibus,* *(s)*

Gg

(s)

(s) Conf. GROT. L. II. C. IX. HUBER. *de J. C. L. I. S. IX. C. VI.* ibique Dn. THOMAS. Dn. BOEHMERI *ius publ. univers. Part. spec. L. III. C. IV.* Adde PALTHENII *diff. de dethronisatione.*

(s) Nisi disertum obstet promissum.

Quale PAL-

(A) deponere posse existimo; sive imperium bello, sive libera populi voluntate fuerit acquisitum. (u) Abdicatione perfecta, Imperantem oportet *in privatorum ac subditorum sortem incidere*, nisi qua peculiaris conventio rem aliter definit, (x) aut decori rationi locus conceditur singularis.

§. XX.

De derelictione.

Derelictione uti alia amitti possunt iura; ita nulla solida obstat ratio, quo minus & imperium derelictione amittatur. *Expressa derelictio* non distat ab abdicatione. Hic itaque de *tacita* potissimum sermo: quæ colligitur ex clara ac perspicua juris sui negligentia atque inter-

mis-

PALTHEN. *cit. diff. §. 4.* adducit de Poloniz Rege, *Michæle Wisnowizio*, qui discrete promittere in pactis, quæ vocant, *conventis* debuit: *Regno Polonia numquam abdicabimus.*

(u) Dicendum hic de abdicatione Caroli V. Imperatoris; nec non Jo. Casimiri, Poloniz Regis.

(x) Exemplo esse potest pactum Christinz Suecorum Reginz; de quo vid. Dn. THOMAS, *ad Huber. cit. C. VI. S. IX. n. 19. lit.*

(p)

(v)

missione. Quando autem Imperantem necessitate coactum, e regno secedere oportuit, non statim derelictio est præsumentanda. (y)

§. XXI.

Tandem & remotione, seu dethroni-
 fatione, quam vocant, imperium amitti, *De re-
 motione* non pauci contendunt. Quod, uti juste contingere posse concedimus, si *alius Im-
 perans* alium justo bello aggrediatur, ac securitatis communis gratia folio deiciat. Quando autem *subjecti* Imperantium tyrannide permoti, in hos vi insurgere atque eisdem imperio exuere conantur; non levia profecto, fateor, dubia obstat. (z)

Gg 2

CAP.

(y) Dicendum hic de Jacobo II. Angliæ Rege.

(z) PALTHENIUS *cit. diss. de dethronif. cu* jusmodi remotionem *in regno limitato* coactione bellica juste a subjectis perfici posse, cum illis defendit. Cui dubia sua opposuit Dn. BOEHM. *cit. antea loc. §. 32. 33. in not.* Conf. GROTI. *L. I. C. IV.* PUFEND. *de J. N. ac G. L. VII. C. VIII.* HUBER *de J. C. L. I. S. IX. C. II. III. IV.* ibiq. Dn. THOMAS *adnotat.* Dn. GUNDLING, *J. N. C. XXXVII. §. 21. seq.*

CAP. XVI.

DE

OFFICIO AC JURE SUBJECTORUM.

§. I.

Connexio.

CUM ex supra demonstratis pateat, rem publicam nexu subjectorum, tam inter se quam cum Imperante, constare; explicatis Imperantium juribus atque officiis tandem & de subjectorum officiis juribusque agendum. (a)

§. II.

Qui sint subjecti?

Subjectorum nomine hic non solum illi veniunt, qui *diserto homagio* se Imperanti subjecerunt; sed &, qui in civitate inter subjectos alios ita degunt, ut *singulari libertate atque immunitate a subjectione civili destituantur.*

§. III.

De vario eorum statu.

Subjectorum varias in civitate classes atque conditiones constitui posse, supra jam fuit ostensum. Hinc I) alii in jurium majestaticorum exercitio partes agunt; aliis autem parendi duntaxat gloria est relicta.

(a) Conf. Dn. BOEHM. *Jus publicum univers.*
P. Spec. L. III. (b)

licta. 2) Alii possunt esse cives proxime Imperanti subjecti, alii remote: quorum illos immediatos, hos mediatos appellant. 3) Alii ratione munerum publicorum ab aliis distinguuntur. 4) Alii singulari dignitate aliis antecessunt. 5) Alii peculiarium collegiorum membra agunt; alii vero ab illis sunt exclusi.

§. IV.

Quamvis igitur, pro diversitate status, De co- & jura pariter atque officia specialia cer-
to modo diversa sint; in eo tamen omnes <sup>rum of-
ficio.</sup> conveniunt; ut ad *obedientiam, reverentia* ^{1) erga}
atque amore temperatam; Imperanti sint <sup>Impe-
rantes,</sup>
obligati, atque adeo *in iis, quae ad commu-
nem reipublicae salutem conducunt*, suam
quisque voluntatem Imperantium decre-
tis subicere teneantur. Quod officium
duplicem complectitur obligationem;
nempe primo *faciendi*, quae imperans eum
in finem fieri vult, atque etiam *patiendi*
ordinarie vel injuriam ab Imperante illa-
tam. Atque hanc obligationem ipsam
justi naturalis regulam inculcare mani-
festum est; modo finem civitatis ac-
tuum, quo illius gratia cives cum Impe-
rante conjunguntur, in memoriam revo-

cemus. Quamvis nec inficias ire quisquam possit, hanc obligationem pro diversa civitatis ac civium conditione, *diversas quoque gradus* admittere. *Regulae vero honesti, decori ac prudentiae* civibus commendant, ut actiones omnes, licet cetera recte se habeant, ita componant, quo Imperantium gratiam singularibus amoris ac reverentiae documentis magis sibi magisque concilient.

§. V.

2) Erga
totam
civitatem.

Intuitu universae civitatis *regula iustae* precipit, ut ejus utilitatem, data occasione, pro viribus quisque civium promoveat, atque imperata cum in finem onera ac pericula subeat. Ut autem singulari civitatis amore intra pectus flagret, atque ad ejus commoda augenda omnes ingenii atque industriae nervos lubentissimus intendat, nec non ad eam servandam, opes fortunasque, quid? quod ipsam vitam sponte devoveat, ac vel non iustus offerat; ea quidem ex *regulis honesti, decori ac prudentiae* deducenda est obligatio; cuius tamen ommissio iniustitiae notam non meretur.

§. VI.

3) Erga
conci-
ves.

Concivium eam habere rationem *regulae*

gula iusti jubet, ne cuiusquam eorum jura, sive vulgaria, sive singularia, turbemus; neve jurium nostrorum læsionem privata violentia vindicemus; salvo tamen inculpatæ tutelæ, de qua supra diximus, modamine. Præterea *regula honesti, decori ac prudentiæ* præcipiunt; ut in mutuo alterum amore complectatur, facilemque se alter alteri ad mutua commoda privata eo felicius promovenda sistat, nec quisquam alterius felicitati juribusque præcipuis invidet.

§. VII.

Quantum ad jura civium *intuitu Imperatorum ac reipublicæ* consideranda attinet; his sine dubio frui debent, quæ *singulari conventionē* sibi ab Imperante vel republica stipulati sunt. Quæ licet deficiente, in omnibus tamen, quæ *fini civitatis non repugnant*, jus libertatis ipsis ordinariè vindicandum. Hinc *jus confectiæ*; *jus indagandæ ac tranquillæ ratione propagandæ veritatis*; *jus ordinariè servandæ vitæ, existimationem, corporis integritatem, bonæ*; *jus educandæ liberæ*; *jus emigrandi*; & quæ sunt generis ejusdem. A *conscivibus* autem quisque jure

G g 4

suo

suo postulare potest, ut tum communi civitatis jure, tum etiam singularibus aliis, sive connatis, sive legitime acquisitis semet quiete gaudere patiantur. *Vacante omnino imperia*, jure plenae libertatis gaudent cives, nisi qua pacti vinculo adhuc inter se connectuntur.

§. VIII.

Quibus modis quis civis esse desinat?

Officia autem ac jura civium, quae tantum, de quibus hic nobis sermo fuit, tantumdiu durat, donec cives esse desinant. Quod contingit 1) morte; 2) quando consensu discreto vel tacito Imperantium e civitate migrant; 3) si ob delicta ejiciantur, ac jure civitatis priventur; 4) si quem civitas dereliquit alique dedit; 5) si hostium vi oppressi in victoris potestatem redigantur; 6) civitate plane intereunte. (b)

CAP. XVII.

DE

MUTATIONIBUS ATQVE INTERITU CIVITATUM.

§. I.

Connectio.

Quemadmodum generationem ac ne-
xura

(b) Conf. PUFEND, de J. N. ac G. L. VIII, C. XI. (c)

xum, qui inde oritur, civitatis, supra ob oculos posuimus: ita & ordo poscit, ut ultimo denique loco etiam de mutationibus atque interitu rerum publicarum pauca in medium proferamus. (c)

§. II.

Mutatio civitatis contingit, vel *salva De mutatione ejusdem forma,* variis hominum moribus irrepentibus, itemque quando *elientelaris* evadit civitas, vel *beneficiaria*, seu *feudalis*, vel *vedigalis* manente cetera priori ejusdem forma essentiali: *vel forma transmutata.* Posterius rursus evenire potest, *civibus volentibus*, aut *invitis.* Illud quidem, quando manente republica, *cives* in novam ejus formam libere consentiunt, ita ut vel una ex simplicibus regularibus in alteram transformetur, vel in plures scindatur, vel plures foedere systematico jungantur. *Invitis* autem *civibus* ejusmodi mutatio oriri potest, *invasoribus* vel *internis*, qui in sinu civitatis degunt, vel *externis* superuenientibus; vel etiam *imperio prater spem vacante* (d)

G g 5

§. III.

(c) Conf. PUFEND. de J. N. ac G. L. VIII. C. XII.

(d) HERT. elem. prud. civil. P. I. S. XII. (e)

§. III.

De interregnis.

Vacante imperio, interregnum, quod vocant, oritur; quod est ejusmodi status, quo populus nexu cum Imperante solutus, simplici adhuc pacto, quo in unam quondam civitatem coaluit, consistitur. Quo casu existente, ni in omnem eventum de summa rerum interea temporis moderanda jam olim statutum fuerit; (e) (quod tutissimum videtur) cives jam consensu suorum rem definiunt, donec novum imperium fuerit stabilitum.

§. IV.

De interitu civitatum.

Penitus vero interit respublica, si vel omnia ejus membra deleantur; (f) vel populus, rupto civili ejusdem vinculo, omnino dissipetur, aut ipse in naturalem libertatem secedat; vel respublica in provinciam redigatur.

F I N I S.

INDEX

- (e) Dicendum hic de interregnis Germaniae ac Poloniz. Conf. HERT. cit. loc. §. 13. PUFEND. de J. N. ac G. L. VII. C. VII. §. 7. seqq.
- (f) V. gr. hostili internecione, aut terramoto.

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

Ubi quatuor numeri occurrunt, primus Partem, secundus Caput, tertius paragraphum, quartus paginam denotat ; Ubi vero quinque, 1. mus partem, 2. dus Sectionem, 3. tins Caput, 4. tus paragraphum, 5. tus paginam.

A <i>Bdicatione</i>	II. II. XV. 19. 466
<i>Acceptatio per alios,</i>	II. I. V. 27. 159
<i>Accessio acquisitionis derivativæ est occasio</i>	II. I. VIII. 21. 223
<i>ejus exempla</i>	II. I. VIII. 22. 223
<i>Acquiescere quid?</i>	I. I. 12. 14
<i>Actiones humanæ,</i>	
<i>ad certam normam sunt componendæ</i>	I. II. 1. 29
<i>earum diversitas,</i>	<i>ibid.</i>
<i>licitæ, necessariæ,</i>	
<i>bonæ, malæ,</i>	I. II. 12. 38
<i>indifferentes,</i>	
<i>earum quantitas bonitatis vel malitiæ gra-</i>	
<i>dum pronunciat.</i>	I. II. 13. 39
<i>Addictio in diem quid?</i>	II. I. X. 27. 275
<i>Adulterium quid?</i>	II. I. XI. 22. 308
<i>Aer accessorium terræ</i>	II. I. VIII. 5. 211
<i>Affectus quid?</i>	I. I. 13. 14
<i>eorum sedes</i>	I. I. 13. 15
<i>primarii</i>	I. I. 14. 15
<i>eorum moralitas</i>	I. I. 15. 16
<i>qui mali potiores</i>	I. I. 16. 17
<i>de eorum terminis</i>	I. I. 18. 18
	<i>de</i>

INDEX RERUM & VERBORUM.

de eorum causa, effectu, & gradibus	I. I. 19. 18
<i>Aggratiandi jus</i> competit imper.	II. II. VI. 10. 382
<i>Alluvio</i> , quid de eâ statuendum?	II. I. VIII. 31. 234
<i>Ambitio</i> quid?	I. I. 16. 17
<i>Amor</i> quid?	I. I. 74. 15
rationalis.	I. I. XV. 16
<i>Aristocratia</i> quid?	II. II. XIV. 10. 443.
<i>Arrha</i> emtionis	II. I. X. 16. 267
<i>Affecuratio</i> quid?	II. I. X. 24. 274
<i>Atheismus</i> quid?	II. I. I. 12. 84
theoreticus]
practicus]
<i>ibid.</i>	
<i>Avaritia</i> quid?	I. I. 16. 17
<i>Audacia</i> ambitionis filia	II. I. II. 7. 99
<i>Autochiria</i> , cuius quinam rei sint?	II. I. II. 2. 92
B ellum, quid?	II. II. XI. 1. 410
an licitum?	II. II. XI. 2. 411
ejus jus cui competat?	II. II. XI. 9. 415
pro quibus movendum?	II. II. 11. 10
ejus finis	II. II. XI. 11. 416
gerentium officia	II. II. XI. 12
ejus indictio	II. II. XI. 13. 417
per bellum acquisita	II. II. XI. 16. 420
hujus causa quando justa	II. II. XI. 3. 411
hujus causa justifica & suasoria	II. II. XI. 5. 412
ejus causa quando dubia?	II. II. XI. 7. 414
justum, injustum,	II. II. XI. 8. 414
defensivum, offensivum,	<i>ibid.</i>
solenne, minus solenne,	<i>ibid.</i>
<i>Benefaciendum</i> est aliis	II. I. IV. 1. 123
indefinite	II. I. IV. 3. 124
definite	II. I. IV. 4. 125
<i>Beneficium</i> quid?	II. I. IV. 13. 132
ad ea præstanda obligamur?	II. I. IV. 15. 134
quando recusandum?	II. I. IV. 17. 136
ad ista nemo potest cogi	II. I. IV. 18. 136
	<i>Be-</i>

INDEX RERUM & VERBORUM.

<i>Bestialitas</i> summo gradu inhonesta est ac indecora	II. I. XI. 23. 308
<i>Bonum</i> verum quid?	I. I. 10. 12
ejus divisio & gradus	I. I. 11. 12
summum quid?	ibid.
apparens.	I. I. 10. 12
<i>Bona</i> eorum defensio quæ esse possit?	II. I. II.
	14. 107
eorum distinctio	II. II. IX. 2. 388
civitatis quæ?	II. II. VIII. 3. 389
Principatus	II. II. VIII. 3. 389
reipublicæ	ibid.
in rebus omnibus extra dominium privatorum positis.	ibid.
privatorum	II. II. VIII. 5. 390
in privata triplex jus imperantib.	II. II. VIII. 6. 392
<i>Brocardicum</i>	II. I. VII. 13. 199
C <i>alliditas</i> in quo consistat?	I. IV. 10. 58
<i>Ceremoniarum</i> apparatus recta ratio ignorat.	II. I. I. 11. 83
<i>Civitatis</i> descriptio	II. II. 1. 2. 378
ejus finis.	II. II. 1. 3. 378
finis quomodo obtineatur?	II. II. 1. 4. 378
civitas quomodo perficiatur	II. II. 1. 5. 379
earum causa impulsiva	II. II. 1. 6. 380
ejus indoles quæ?	II. II. 1. 7. 381
quando clientelaris, vectigalis?	II. II. XVII. 2. 473
quando intereat?	II. II. 17. 4. 474
<i>Cliens</i> utrum gaudeat Majestate?	II. II. II. 13. 390
<i>Coactio</i> quomodo intelligenda?	II. I. V. 13. 147
<i>Collegii</i> descriptio	II. II. IX. 1. 397
in ista jus habet Imperans.	II. II. IX. 2. 397
ejus socium agere potest princeps.	II. II. IX. 3. 399
<i>Commodatum</i> quid?	II. IX. 10. 259
quid circa istud observandum?	II. I. X. 10. 259
principam quod	II. I. X. 37. 282
	Com-

INDEX RERUM & VERBORUM.

<i>Compensare</i> quid ?	II. I. V. 34. 163
<i>Concubinatus</i> regulis iusti non est advers.	II. I. XI. 21. 307
<i>Conditio</i> quando promissionem validam reddat ?	II. I. VII. 24. 156
resolutiva, suspensiva,	<i>ibid.</i>
<i>Condonatio.</i>	II. I. V. 35. 164
<i>Conductio</i> quid de ista statuendum ?	II. I. X. 17. 269
<i>Confusio</i> tollit obligationes.	II. I. V. 40. 167
<i>Conjuges</i> de eorum jure	II. I. XI. 17. 304
eorum officia	II. I. XI. 18. 304
<i>Conjugium</i> quid ?	II. I. XI. 1. 289
an ad istud obligemur ?	II. I. XI. 2. 290
evitandæ scortationis causa ineundum,	II. I. XI. 4. 292
quid homini circa istud observandum ?	II. I. XI. 6. 293
ejus finis,	II. I. XI. 7. 293
ab isto impuberes arcentur,	II. I. XI. 9. 296
castratorum, spadonum, sterilium	II. I. XI. 9. 297
senum ac vetularum æque animo ferendum	<i>ibid.</i>
quando ob consanguinitatem prohibitum ?	II. I. XI. 10. 298
<i>Conscientia</i> quid ?	I. I. 7. 8.
i. vera i. falsa.	<i>ibid.</i>
certa, verosimilis } dubia }	<i>ibid.</i>
contra istam erroneam non est agendum	<i>ibid.</i>
ejus libertas,	II. I. I. 16. 89
<i>Consensus</i> ad pacta requiritur mutuus,	II. I. V. 5. 140
sufficenter declaratus,	II. I. V. 8. 143
ipsam declarandi modus diversus,	II. I. V. 7. 141
num ad istum requiratur voluntas ?	II. I. V. 13. 146
<i>Consilium</i> quid ?	I. II. 15. 40
ejus differentia à lege.	I. II. 16. 42
<i>Consiliarius</i> quomodo differat à legislatore	I. II. 17. 45
<i>Contractuum</i> descriptio	II. I. X. 1. 253
eorum divisio.	II. I. X. 2. 253
beneficus quid ?	II. I. X. 3. 253
circa istos officia,	II. I. X. 4. 254
	eorum

INDEX RERUM & VERBORUM.

eorum jura.	II. I. X. 5. 254
pignoratitius.	II. I. X. 31. 277
onerosi.	II. I. X. 13. 263
accessorii	II. I. X. 25. 275
alex obnoxii	II. I. X. 19. 271
alex obnoxii inter liberas gentes earumque summa capita obtinent.	II. I. X. 43. 285
<i>Corporis cultura habenda.</i>	II. I. II. 8. 100
<i>Creditoris jus</i>	II. I. X. 32. 278
<i>possidendi pignus.</i>	<i>ibid.</i>
<i>antichreticum</i>	<i>ibid.</i>
<i>ex pignore sibi satisfaciendi</i>	<i>ibid.</i>
<i>jus pignoris aliis vendere potest.</i>	II. I. X. 32. 279
<i>nata damnum solus ferre debeat, si pignus casu periit.</i>	II. I. X. 34. 280
<i>Cultus Dei quid?</i>	II. I. I. 7. 80
<i>internus.</i>	II. I. I. 8. 81
<i>quid efficiat?</i>	II. I. I. 9. 82
<i>internus naturalis, in quo se exerat?</i>	II. I. I. 10. 82
<i>arbitrarius à recta ratione ignoratur.</i>	II. I. I. II. 83
D <i>Annuum</i>	
<i>causa principalis restituit.</i>	II. I. III. 10. 117
<i>æquales plures pro ratione influxus sui resarciunt</i>	<i>ibid.</i>
<i>dividuum</i>	II. I. III. 12. 118
<i>individuum.</i>	<i>ibid.</i>
<i>à pluribus ex conspiratione factum quomodo reparandum,</i>	II. I. III. 13. 119
<i>restituendum est.</i>	II. I. III. 5. 113
<i>ejus restitutio quousque extendenda?</i>	II. I. III. 6. 114
<i>à servo aut animali datum quis restituere teneatur.</i>	II. I. III. 8. 115
<i>à pluribus datum quomodo imputandum?</i>	II. I. III. 9. 117
<i>Debitor jus reluendi alteri cedere potest</i>	II. I. X. 33. 280
<i>Decoris regula</i>	I. III. 9. 50
<i>Defensio membrorum.</i>	II. I. II. 16. 106
<i>pulicitis.</i>	II. I. II. 17. 106
	liber-

INDEX RERUM & VERBORUM.

libertatis	II. I. II. 17. 107
bonorum	II. I. II. 18. 107
sui ipsius quæ esse debeat in statu civili?	II. I. II. 19. 108
sui ipsius violenta	II. I. II. 10. 102
quando licita?	II. I. II. 12. 103
vitz.	II. I. II. 14. 105
famæ.	II. I. II. 15. 105
<i>Deismus</i> quid?	II. I. I. 12. 85
<i>Delegatio</i> quid?	II. I. V. 36. 164
<i>Deliberatio</i> quomodo instituenda?	I. IV. 5. 56
<i>Delinquens</i> ad pœnam an obligatus sit?	II. II. VI. II. 383
<i>Democratia</i> in quo consistat?	II. II. XIV. II. 444
in ista interdum unus quasi principis autoritate	
universis præesse potest	II. II. XIV. II. 446
<i>Depositum</i> inter liberas gentes quod?	II. I. X. 39. 284
quid sit?	II. I. X. 12. 262
<i>Derelictio</i> expressa, tacita.	II. II. XV. 20. 466
<i>Detronisatio</i> quando obtineat?	II. II. XV. 21. 467
<i>Deus</i> est summum bonum	I. I. 12. 44
officia erga istum.	II. I. I. 4. 74.
ejus existentia demonstratur.	II. I. I. 4. 76
eius attributa.	II. I. I. 5. 78
est hujus universi autor	<i>ibid.</i>
ejus providentia	II. I. I. 6. 80
<i>Dissensus</i> mutuis pacta tollit.	II. I. V. 33. 163
<i>Divortium</i> quando adfit?	II. I. XI. 16. 304
in statu Nat.	II. I. XI. 28. 311
<i>Dolus</i> quid efficiat in pactis.	II. I. V. 12. 145
in statu Nat.	II. I. V. 47. 172
<i>Dominium</i> quid?	II. I. VIII. 1. 207
ejus origo.	II. I. VIII. 2. 208
quæ res hujus capaces?	II. I. VIII. 4. 209
plenum, minus plenum.	II. I. VIII. 8. 214
directum, utile, rerum corporaliuni universale,	
singulare, commune.	<i>ibid.</i>
unius proprium, revocabile irrevocabile, pri-	
vatum, publicum.	<i>ibid.</i>
ejus	

INDEX RERUM & VERBORUM.

ejus effectus.	ll. l. 26. 229
quid circa res alterius obnoxias observandum.	H. l. VIII. 28. 231.
<i>Donationes Principum quando firmæ.</i>	ll. l. X. 36. 236
<i>Dos</i> quid.	ll. l. XI. 30. 312
<i>Dotalitium.</i>	ll. l. XI. 31. 312
E <i>Lectio</i> ubi locum habeat.	ll. l. XV. 9. 459
quomodo perficiatur.	<i>Ibid.</i>
<i>Emtio</i> quid.	ll. l. X. 15. 262
de istius jure	<i>ibid.</i>
ejus arrhæ.	ll. l. X. 16. 267
<i>Error</i> quid.	l. l. 6. 7
efficax, concomitans.	<i>ibid.</i>
vincibilis, invincibilis,	<i>ibid.</i>
ejus in pactis effectus.	ll. l. V. 11. 144
in statu Nat.	ll. l. V. 46. 172
<i>Exheredare</i> princeps non potest filium.	ll. l. VIII. 37. 238
<i>Existimatio</i> non omnis damnanda	ll. l. II. 4. 95
simplex, intensiva.	<i>ibid.</i>
F <i>Amæ</i> defensio	ll. l. II. 13. 105
imperantibus necessaria.	ll. l. II. 15. 106
<i>Falsiloquium</i> non absolute damnandum.	ll. l. VI. 7. 184.
& mendacium non sunt synonyma	ll. l. VI. 7. 186
<i>Felicitas</i> in societate viventium pace & amicitia ab-	
solvitur.	ll. l. II. 10.
<i>Fides</i> pacto servanda.	ll. l. V. 3. 138
<i>Fidejussio</i>	ll. l. X. 30. 277
<i>Fid. jussores</i> varii sunt generis.	ll. l. X. 44. 286
Gvarandi.	<i>ibid.</i>
<i>Fluvius</i> si alveum mutaverit, utrum imperii termi-	
nos mutet.	ll. l. VIII. 32. 234.
<i>Fœderis</i> descriptio.	ll. l. XII. 2. 427
vulgaria, singularia.	ll. l. XII. 3. 427
æqualia, inæqualia,	
belli, commerciorum,	<i>Ibid.</i>
personalia, realia	quid

INDEX RERUM & VERBORUM.

- quid circa ista observandum? II. II. XII. 4. 428
 in quomodo dissolvantur. II. II. XII. 5. 428
Fornicatio quid? II. I. XI. 20. 307
- G** *Ratiudo.* II. I. IV. 16. 136
Gratandi. II. I. X. 44. 286
- H** *Erus* num jure vitæ ac necis gaudeat. II. I. XIII. 9. 329
 num jus habeat in liberos mancipiorum II. I. XIII. 10. 331
 ejus jus in servos conductos. II. I. XIII. 11. 331
 civis officia. II. I. XIII. 13. 332
- Hominis* definitio. I. I. 3. 4
 status Naturalis. I. V. 2. 65
 status adventitius. I. V. 2. 65
 amor sui ipsius rationalis. II. I. II. 1. 91
 vitam conservare tenetur. II. I. II. 2. 91
 mentem colat. II. I. II. 3. 93
 corpus alat. II. I. II. 8. 101
 ab aliorum injuriis se defendat. II. I. II. 9. 102
- Honesti* regula. I. III. 9. 50
Honor ejus studium non omne abjiciendum II. I. II. 4. 95
- Hospitalitas.* II. I. IV. 11. 130
Hospiti in istum quid liceat. II. II. XI. 15. 419
 isti fides servanda. II. II. XI. 19. 423
- Humilitatis* officia vulgaria. II. I. IV. 5. 125
 ejus exempla. II. I. IV. 6. 126
 ejus jus tum in statu Nat. tum in Civ. II. I. IV. 12. 131
- Hypotheca.* II. I. X. 31. 277
Hypocrisis quid? II. I. 14. 87
- I** *Ignorantia* quid? I. I. 6. 7
 vel efficax u. concomitans] *ibid.*
 vincibilis, invincibilis]
- Imperantium* officia circa præmiorum distributio-
 nem. II. II. VI. 13. 385
 jus & officia circa existimationem II. II. VII. 3. 386
 jus intuitu honorum II. II. VII. 4. 387
 jus

INDEX RERUM & VERBORUM.

jus in bona publica ac privata.	II. II. VIII. 4. 388
officia intuitu bonorum publicorum & privatorum.	II. II. VIII. 10. 395
jus in collegia.	II. II. IX. 2. 397
officia intuitu collegiorum.	II. II. IX. 4. 399
officia circa sacra	II. II. X. 8. 406
officia & jus circa studia.	II. II. X. 9. 409
officia circa jus ministros constituendi.	II. II. III. 4. 368
jura vitæ ac necis	II. II. VI. 6. 378
officia circa penas.	II. II. VI. 9. 389
<i>Imperium</i> acquirendi modus originarius, qui	II. II. XV. 3. 456
derivativus.	II. II. XV. 4. 457
violentus,	II. II. XV. 5. 457
pacificus.	II. II. XV. 6. 457
ejus occupatio quando violenta	II. II. XV. 7. 458
<i>Imperium maritale</i> in statu Nat. quod?	II. I. XI. 26. 509
quomodo amittatur.	II. II. XV. 17. 465
herile quale.	II. I. XIII. 4. 327
<i>Imprudencia</i> quid?	I. IV. 10. 58
differt à calliditate	<i>ibid.</i>
<i>Impuberes</i> a societate matrimoniali arcantur	II. I. XI. 9. 296
<i>Imputatio</i> quid?	I. VI. 4. 72
quando isti locus sit.	I. VI. 4. 72
<i>Inducia</i> quid?	II. II. XI. 20. 424
<i>Injuria</i> lationis effectus.	II. I. III. 4. 116
est reparanda.	II. I. III. 5. 113
<i>Insula</i> ad quem pertineant.	II. I. VIII. 33. 236
<i>Intellectus</i> quid?	I. I. 5. 6
neutiquam patitur, sed agit.	I. I. 5. 6
hujus cultura habenda est.	II. I. II. 3. 93
<i>Interregnum</i> quid?	II. II. XVII. 5. 474
<i>Juramentum</i> quid?	II. I. VII. 2. 192
debet esse conjunctum cum animo jurandi.	II. I. VII. 3. 192
fieri debet per Deum.	II. I. VII. 4. 193
ejus finis,	II. I. VII. 5. 194

INDEX RERUM & VERBORUM.

ejus necessitas ac permissio.	H. I. VII. 6. 194
non temere exigendum.	II. I. VII. 8. 196
non temere faciendum.	II. I. VII. 9. 196
ejus effectus	II. I. VII. 12. 197
quomodo interpretandum.	II. I. VII. 14. 200
promissorium, assertorium.	II. I. VII. 15. 202
litis decisorium.	<i>ibid.</i>
judiciale, extra judiciale.	<i>ibid.</i>
<i>Jurisprudencia</i> unde oriatur.	I. VI. 5. 72
quotuplex sit.	I. VI. 5. 72
naturalis, habitualis.	I. VI. 6. 73
systematica.	I. VI. 7. 73
privata, publica.	I. VI. 8. 73
universalis publicæ descriptio.	II. II. I. 1. 377
<i>Justi</i> regula.	I. III. 9. 50
<i>Jus</i> conmatum, acquisitum.	I. II. 7. 34
perfectum, imperfectum.	I. II. 7. 35
ejus æquivocatio tollitur.	I. III. I. 42
quomodo differat a virtutibus.	I. IV. 15. 63
<i>Jus</i> necessitatis quid?	II. I. II. 20. 109
Gentium quid?	I. III. 12. 53
stabulæ vel geranii.	II. I. IV. 8. 128
in re, ad rem.	II. I. VIII. 9. 215
servitutis, pignoris.	<i>ibid.</i>
acquirendi modus qui originarius, qui derivati- vus.	II. I. VIII. 10. 216
<i>Jus</i> postliminii.	II. II. X. 2. 401.
<i>Jus</i> circa sacra	II. II. X. 2. 401.
ejus fundamentum.	II. II. X. 3. 401
est pars civilis Imperii.	II. II. X. 4. 402
respicit cultum externum.	II. II. X. 5. 403
partes ejus speciales.	II. II. X. 6. 404
ejus finis.	II. II. X. 7. 406
<i>Jura</i> Majestatica.	II. II. II. 24. 359
immanentia.	II. II. II. 25. 359
transcuntia.	II. II. II. 26. 360
L <i>Adendus</i> nemo.	II. I. III. 2. 3
laxere quid?	II. I. III. 3. 112
	<i>Lasso</i>

INDEX RERUM & VERBORUM.

<i>Lesio ejus effectus injuria.</i>	II. I. III. 4. 112
ejus reparatio.	II. I. III. 6. 114
<i>Legis, qui honor debeat.</i>	II. II. XIII. 7. 432
cur admittendus.	II. II. XIII. 8. 432
eorum securitas.	II. II. XIII. 9. 433
ab omnibus injuriis liberi.	II. II. XIII. 10. 433
libertate sermonis gaudent.	II. II. XIII. 11. 434
eorum immunitas à foro loci.	II. II. XIII. 12. 434
eorum delicta quomodo estimanda.	II. II. XIII. 13. 435
<i>jure talionis non potest interfici.</i>	II. II. XIII. 14. 436
eorum familia & vasa sancta sunt.	II. II. XIII. 15. 436
eorum qualitates.	II. II. XIII. 16. 437
eorum usus.	II. II. XIII. 17. 429
qui & quotuplices.	II. II. XIII. 2. 430
primi ordinis.	II. II. XIII. 3. 430
secundi ordinis.	II. II. XIII. 4. 431
ordinarii extraordinarii	II. II. XIII. 5. 431
<i>Legislator quomodo differat à Doctore & consiliario.</i>	I. II. 17. 74
<i>Lex ejus descriptio</i>	I. II. 2. 30
ejus effectus.	I. II. 3. 30
ejus cognitio necessaria.	I. II. 8. 35
ejus partes.	I. II. 9. 36
ejus objectum.	I. II. 10. 37
potest mutari.	I. II. 11. 37
ejus pars dispositiva, vindicativa.	II. II. III. 5. 362
ejus obligatio.	II. II. III. 8. 364
<i>Lex naturalis obligat.</i>	I. III. 10. 51
ejus diversa obligandi ratio.	I. III. 11. 52
integris gentibus applicata evadit jus gentium.	I. III. 12. 53
ejus divisio respectu autoris.	I. II. 14. 40
ejus descriptio.	I. III. 2. 42
ejus certitudo.	I. III. 3. 43
ejus Autor.	I. III. 4. 45

Hh 3 eius

INDEX RERUM & VERBORUM.

ejus differentia à positiva.	I. III. 6. 46
ejus finis.	I. III. 7. 48
ejus propositi fundamentatis.	I. III. 8. 49
<i>Libers</i> parentes amare tenentur.	II. I. XII. 7. 317
eorum jus ipsis connatum.	II. I. XII. 8. 318
quando sui juris evadant.	II. I. XII. 10. 320
quomodo educandi.	II. I. XII. 4. 315
<i>Diligendi</i> modus in natural.	L. V. 5. 67
<i>Libertas</i> quousque ejus jactura æstimanda.	II. I. II. 17. 107
quid sit?	I. I. 23. 22
non tollitur temperamenti,	} <i>ibid.</i>
vera in quo consistat	
à primo homine amissa	
omnium vitiorum scaturigo.	I. I. 24. 26
ejus restitutio unde petenda.	I. I. 24. 26
<i>Locatio</i>	II. I. X. 17. 269
inter liberas gentes rara.	II. I. X. 41. 284
<i>Loqui</i> quando ad istud obligemur.	II. I. VI. 4. 181
<i>Lotaria</i> quid?	II. I. X. 22. 273
<i>Ludi</i> ab illicitis prope absunt.	II. I. X. 21. 273
M ajestas absoluta, limitata.	II. II. II. 11. 390
hac utrum Vasallus gaudeat.	II. II. II. 12. 390
hoc utrum Client.	II. II. II. 13. 390
an tributarius.	II. II. II. 14. 391
varie distinguitur.	II. II. II. 15. 391
regularis vel irregularis.	II. II. II. 16. 391
ordinaria, extraordinaria	II. II. II. 17. 392
usufructuaria, patrimonialis	II. II. II. 18. 392
istius partes.	II. II. II. 22. 357
ejus jura	II. II. II. 23. 358
ejus descriptio	II. II. II. 1. 383
unde oriatur.	II. II. II. 2. 383
à Deo approbatur.	II. II. II. 3. 384
eius affectiones	II. II. II. 4. 385
debet esse summa.	II. II. II. 5. 386
una.	II. II. II. 6. 386

per-

INDEX RERUM & VEBRORUM.

perfecta.	II. II. II. 7. 387
sancta & inviolabilis.	II. H. II. 8. 388.
<i>Mandatum</i> quid?	II. I. X. II. 261
liberum, restrictum,] <i>id.</i>
ejus jura,	
principum & gentium liberarum quale	II. I. X. 38. 283
<i>Manipia</i> alienandi jus habet herus.	II. I. XIII. 4. 328
in eorum liberos num heredis ius habeat.	II. I. XIII. 40. 332
<i>Maritus</i> non debet abuti imperio suo in uxorem	II. I. XI. 19. 365
<i>Matrimoniorum</i> libertas.	II. I. IV. II. 150
ad morganadicam.	II. I. XI. 25. 309
<i>Membra</i> sunt conservanda.	II. I. II. 16. 166
<i>Mentis</i> facultates.	I. I. 4. 5
de earum sede	<i>id.</i>
in appetitionibus suis corpori se accommodant.	I. I. 21. 26
<i>Metus</i> ex suspitione acceptus quando pretium irritum reddat.	II. I. V. 14. 147
pro vehemente animi terrore acceptus.	II. I. V. 14. 148
injustus in statu Nat.	II. I. V. 48. 173
<i>Minorætat</i> is exceptio num locum habeat in statu nat.	II. I. V. 45. 171
<i>Ministros</i> constituendi necessitas.	II. II. IV. 1. 367
cui competat ius eos constituendi.	II. II. IV. 2. 367
<i>Moderamen</i> inculpatæ tutelæ.	II. I. II. 19. 108
<i>Monarchomachorum</i> error de Majestate	II. I. II. 9. 388
<i>Monarchia</i> quid?	II. II. XIV. 7. 440
absoluta, limitata.	II. II. XIV. 8. 442
<i>Monopolia</i> num inter liberas gentes locum habeant.	III. X. 40. 384
<i>Mores</i> unde oriuntur.	I. I. 17. 18
de tribus eorum temperamentis.	I. I. 22. 22
<i>Moralitas</i> obiectiva non datur.	I. III. 5. 45
<i>Mors</i> obligationem tollit.	III. V. 39. 166

INDEX RERUM & VERBORUM.

- Mutuum* quid? II. I. X. 8. 256
Mutuum adiutorium non est finis coniugii. II. I. XI.
 8. 236
- N**atura vocabulum quomodo accipiatur. I. I. 3
 moralis hominis definitio. I. I. 2 4
Naufragorum bona nemo occupando sibi vindicari potest. II. I. VIII. 30. 249
 quid circa ista definiat Status Civil. II. I. VIII. 40. 241
 subiectorum fisco non debet adscribere princeps. II. I. VIII. 40. 245
Necessitas quid? II. I. II. 20. 109
 eius ius, tam divinæ quam humanae leges admittunt. *ibid.*
Neutralitas generalis, specialis. II. II. XI. 18. 422
Negatio. II. I. X. 36. 164
Nominus eorum valorem definire & signare, possunt imperantes. II. I. IX. II. 252
Nuptias quid constituat. II. I. XI. 14. 302
 iustarum ritus. II. I. XI. 27. 310
- O**bligatio, quid? I. II. 9. 30
 quotuplex. I. II. 4. 42
 ejus causa. I. II. 5. 33
 ejus subiectum. II. I. 6. 34
 ejus facultas, moralis. I. II. 7. 34
 juris, quid? I. IV. 15. 63
 virtutis, quid? I. IV. 15. 64
 modi eam tollendi. II. I. V. 30. 161
 quomodo tollatur in statu Nat. II. I. V. 52. 172
- Occupatio* principalis, accessoria. II. I. VIII. 12. 217
 ejus tres species. II. I. VIII. 13. 218
 derivativæ quæ. II. I. VIII. 16. 219
 ejus ius non præducit Papa liberalis de bonis infidelium concessio. II. I. VIII. 30. 233

INDEX RERUM & VERBORUM.

<i>Oceanus</i> in cuius potestate,	II. I. VIII. 5. 270
<i>Odiu</i> quid?	I. I. 14. 15
rationale.	I. I. 15. 16
<i>Olla</i> fortunæ quid?	II. I. X. 23. 274
<i>Opes</i> earum desiderium moderatum probatur.	II. I. III. 3. 96
P <i>Asperum</i> origo.	II. I. V. 1. 137
definitio.	II. I. V. 2. 138
ad ea servanda obligamur.	II. I. V. 3. 138
eorum divisio.	II. I. V. 4. 139
ad ea requiritur mutuus consensus.	II. I. V. 5. 140
differunt a pollicitatione.	II. I. V. 6. 140
facultas consentiendi ad ista requiritur.	II. I. V.
error non redditur irritum.	II. I. V. 10. 143
in istis quid dolus efficiat.	II. I. V. 11. 144
metus quid in istis efficiat.	II. I. V. 12. 145
eorum objectum.	II. I. V. 14. 147
irrita quomodo conualescant.	II. I. V. 16. 149
eorum effectus.	II. I. V. 29. 161
in statu Nat. impossibilia quæ.	II. I. V. 50. 176
illicita de rebus alienis,	ibid.
in statu Nat. quomodo servanda.	II. I. V. 43. 168
proximileos quid?	II. I. X. 29. 276
commissorium quid?	II. I. X. 26. 275
de retrovertendo.	II. I. X. 28. 278
conjugale quid?	II. I. XI. 12. 301
hujus condiciones potiores.	II. I. XI. 15. 302
<i>Pacifici</i> num liceat de alienis,	II. I. V. 9. 152
de factis alienis.	II. I. V. 20. 153
de rebus & actionibus in quas jus aliis est.	II. I.

Hh 5

per

INDEX RERUM & VERBORUM.

per internuntium.	II. I. V. 26. 158
<i>Pagus</i> terræ motu alibi translatus cujus sit.	II. I. VIII. 34. 236
<i>Parentes</i> prospicere debent liberis.	II. I. XII. 2. 313
quomodo educare debent liberos	II. I. XII. 3. 314
eorum jura in liberos	II. I. XII. 6. 316
eorum officia in statu Nat.	II. I. XII. 11. 321
eorum officia in statu Civ.	II. I. XII. 12. 322
<i>Pax</i> ad istam renovandam obligamur in statu Nat.	II. I. III. 15. 120
in statu Civ. imperari potest.	II. I. III. 16. 122
ejus conditiones implendæ sunt	II. II. XI. 21. 425
<i>Permutatio</i> quid;	II. I. X. 14. 264
hodie rara.	ibid.
<i>Persidia</i> tollit obligationem.	II. I. V. 37. 165
<i>Perjurium</i> vitandum est.	II. I. VII. 10. 197
<i>Pignus</i> utrum luitioni ejus in statu Nat. possit præscribi.	II. I. X. 45. 287
utrum imperii partem pignori dare possit imperans.	ibid.
unde oriatur.	II. I. X. 31. 277
<i>Plenipotentiarius.</i>	II. II. XIII. 6. 431
<i>Pomerium</i> necessitas.	II. II. VI. 1. 374
descriptio.	II. II. VI. 2. 375
sunt pars imperii.	II. II. VI. 3. 375
earum finis.	II. II. VI. 5. 377
istarum objectum.	II. II. VI. 7. 379
an ad istas obligetur delinquens	II. II. VI. 11. 383
<i>Policentia</i> differt a pacto	II. I. V. 6. 140
quam producat in statu Nat. obligationem.	II. I. V. 44. 170
<i>Polygamia</i> simultanea, successiva, muliebris, virilis.	II. I. XI. 11. 299
<i>Possessio</i> verum dominium producit.	II. I. VIII. 27. 239
jus quæsitum confirmat	ibid.
conjecturam pro jure parit.	ibid.
	<i>Posses.</i>

INDEX RERUM & VERBORUM:

<i>Possessor</i> malæ fidei, bonæ fidei.	II. I. VIII. 27. 230
<i>Potestas</i> legislatoria quid?	II. II. III. 1. 360
ejus necessitas.	II. II. III. 2. 360
cui hæc competat.	II. II. III. 3. 361
exercetur mediate, immediate	II. II. III. 4. 362
ejus jura.	II. II. III. 9. 365
<i>Pœmia</i> distribuendi jus penes imperantes est.	II. II. VI. 12. 384
<i>Præmium</i> eius descriptio.	II. I. IX. 2. 244
vulgare.	II. I. IX. 3. 244
eminens unde.	II. I. IX. 4. 245
commune, affectionis.	II. I. IX. 5. 246
conventionale, legitimum.	II. I. IX. 6. 246
ejus fundamentum.	II. I. IX. 7. 247
raritate intenditur atque remittitur.	II. I. IX. 8. 248
officia hominis circa istud.	II. I. IX. 9. 250
hominis jura circa istud.	II. I. IX. 10. 250
<i>Providentia</i> divina quid.	II. I. I. 6. 80
sapientes & prudentes sæpè tentat.	II. I. II. 7. 100
reverenda est.	<i>ibid.</i>
<i>Promissio</i> impossibillium.	II. I. V. 17. 149
rei licitæ num obliget.	II. I. V. 18. 150
modus earum diversus.	II. I. V. 22. 155
pura obligat.	II. I. V. 23. 155
ejus conditio suspensiva, resolutiva.	II. I. V. 24. 156
dies & locus.	II. I. V. 25. 157
per alios.	II. I. V. 26. 158
ejus revocatio.	II. I. V. 28. 160
<i>Prudentia</i> regulæ.	I. III. 9. 50
sapientie fit comes.	I. III. 4. 56
<i>Pudicitia</i> quousque defendenda.	II. I. II. 17. 106
R <i>Alio</i> quid proprie vocetur.	I. I. 6
recta quid est	<i>ibid.</i>
	<i>Receptio</i>

INDEX RERUM & VERBORUM.

- Receptio peregrinantium ad littus.* II. I. IV. 9. 128
sedes fixas querentium. II. I. IV. 10. 129
Recreatio animi honesta licita est. II. I. II. 6. 98
Religionis divisio. II. I. I. 2. 74
quomodo ad Jus Nat. pertineat. II. I. I. 3. 75
naturalis Deum sibi reddit propitium. II. P. I. 15. 88
felicitatem humanam promovet. II. I. I. 15. 88
ejus necessitas. II. II. X. 1. 400
Renuntiatio in statu Nat. II. I. V. 51. 176
Remotio. II. II. XV. 21. 467
Reparatio injuriz quousque extentenda. II. F. III. 6. 114
Repressaliorum descriptio. II. II. XI. 14. 418
Restitutio in integrum. II. I. V. 49. 175
Res domini capaces, incapaces. II. I. VIII. 6. 211
publice. *ibid.*
privatæ, corporales, incorporales, mobiles, im-
mobiles, fungibiles, non fungibiles, princi-
pales, accessoriz. *ibid.*
istis utendi jus habemus. II. I. VIII. 7. 213
earum fructus quætriplices sint. II. I. VIII. 6. 213
Respublica unde ejus forma cognoscatur. II. II. XIV. 2. 438
regularis, irregularis. II. II. XIV. 4. 439
simplex, composita. II. II. XIV. 5. 439
regularium, simplicium quot. II. II. XIV. 6. 440
mixta. II. II. XIV. 12. 446
composita ex systematico fœdere. II. II. XIV. 13. 448
systematica regularis. II. II. XIV. 15. 450
ejus morbi. II. II. XIV. 16. 453
Sancio pœnalis. II. II. 36. 363
Sapientia quid complectatur. I. IV. 4. 56
Servientis descriptio. II. I. XIII. 6. 211

INDEX RERUM & VERBORUM.

origo.	II. I. XIII. 1. 324
<i>Scrvorum</i> diversa conditio.	II. I. XIII. 5. 327
eorum officia.	II. I. XIII. 12. 332
eorum jura.	II. I. XIII. 14. 333
<i>Sermonis</i> descriptio.	II. I. VI. 2. 180
præceptum de eo generale.	II. I. VI. 3. 80
in statu Nat. jus circa istum.	II. I. VI. 8. 186
in statu Civ.	II. I. VI. 10. 189
<i>Silere</i> quando ad istud obligemur.	II. I. VI. 4. 181
<i>Societas</i> parentum ac liberorum quomodo dissolvatur.	II. I. XII. 9. 319
negotiatoria, quomodo lucri ac damni partitionem instituat.	II. I. X. 18. 279
herilis fundamentum.	II. I. XIII. 3. 326
herilis finis.	II. I. XIII. 2. 326
quo pacto dissolvatur herilis.	II. I. XIII. 15. 335
inter gentes post mercatoriam etiam navalis recepta est.	II. I. X. 42. 285
<i>Solvere</i> quid?	II. I. V. 32. 162
quomodo fieri possit.	<i>ibid.</i>
<i>Spes</i> quantum faciat ad felicitatem humanam.	II. I. II. 7. 98
<i>Sponte</i> agere quid?	I. I. 23. 24
<i>Sponsaliti</i> tractatus.	II. I. XI. 13. 301
<i>Sponsiones</i> quid?	II. II. XII. 6. 429
quid circa istas observandum.	II. I. X. 20. 272
<i>Stans</i> hominis naturalis.	I. V. 2. 65
absolutus quid?	I. V. 3. 66
hypotheticus.	I. V. 4. 66

INDEX RERUM & VERBORUM.

naturalis sua molestia laborat.	I. V. 6. 69
civilis præ naturali securior.	I. V. 7. 69
<i>Stuprum</i> quid denotet.	II. I. XI. 20. 307
<i>Studia</i> jus & officia circa ea habet princeps.	II. II. X. 9. 410
<i>Stultitia</i> quid?	I. IV. 9. 57
cum vitio synonymum.	<i>ibid.</i>
<i>Subjecti</i> qui?	II. II. XVI. 2. 468
quando cives esse desinant.	II. II. XVI. 8. 472
eorum officia erga Imperantes.	II. II. XVI. 4. 469
officia erga civitatem.	II. II. XVI. 5. 470
officia erga concives.	II. II. XVI. 6. 470
eorum jura.	II. II. XVI. 7. 471
<i>Successionis</i> fundamentum.	II. II. XV. 11. 461
distinctio.	II. II. XV. 12. 461
testamentaria & ex conventionibus.	II. II. XV. 13. 461
hereditaria, simplex.	II. II. XV. 14. 462
linealis quæ.	II. II. XV. 15. 463
ab intestato.	II. I. VIII. 24. 227
in regna ac principatus.	II. I. VIII. 38. 240
istius quando ratio habeatur.	II. II. XV. 10. 460
<i>Subversio</i> non consistit in excessu pietatis.	II. I. I. 13. 86
T emperamentum quotuplex sit.	I. I. 20. 20
ejus effectus morales.	I. I. 21. 20
non tollit libertatem.	I. I. 23. 23
<i>Tempus</i> obligationes extinguunt.	II. I. V. 30. 166
<i>Testamentum</i> quid?	II. I. VIII. 23. 224
an lege Naturæ præcipiatur eorum validitas.	<i>ibid.</i>
	impe-

INDEX RERUM & VERBORUM.

imperantium quo loco sint.	II. I. VIII. 36. 238
<i>Timiditas</i> voluptatis & avaritiæ filia.	II. I. II. 7. 98
<i>Transitio</i> quid?	II. I. VIII. 17. 219
<i>Transitus</i> personarum.	II. I. IV. 7. 126
mercium.	II. I. IV. 8. 127
<i>Tributarius</i> an majestate gaudeat.	II. II. II. 14. 391
<i>Tutela</i> regis.	II. II. XV. 16. 464
V <i>Assensus</i> utrum gaudeat majestate.	II. II. II. 12. 390
<i>Valligalia</i> terrestria, fluviatica, maritima.	II. I. IV. 8. 128
<i>Veritas</i> quomodo nos obliget.	II. I. VI. 6. 183
<i>Violentia</i> licita.	II. I. II. 12. 109
<i>Virtuosus</i> quid?	I. IV. I. 54
<i>Virtutes</i> quomodo differant a lege.	I. IV. 15. 63
ad istas quomodo allicendi homines.	I. IV. 14. 62
earum præmia.	I. IV. 12. 60
earum descriptio.	I. IV. 2. 55
earum primariæ sapientia ac prudentia	I. IV. 3. 55
sepe miscentur cum vitiis.	I. IV. II. 59
<i>Vitiosus</i> quid?	I. IV. 1. 54
<i>Vita</i> defensio.	II. I. II. 14. 105
<i>Vitium</i> quid?	I. IV. 8. 57
sepe miscetur cum virtute	I. IV. II. 59
ab istis quomodo abducendi sint homines.	I. IV. 14. 62
eorum pœnæ.	I. IV. 13. 61
<i>Vitia</i> hominum in republica.	II. II. XIV. 17. 454
status.	<i>ibid.</i>
	status

INDEX RERUM & VERBORUM.

status potiora.	ll. II. XIV. 18. 454
<i>Voluptas</i> quid?	l. I. 16. 17
fœda detestanda.	ll. I. II. 698
<i>Voluntas</i> quid?	l. I. 8. 9
activa, passiva.	<i>Ibid.</i>
intellectum impellit.	<i>ibid.</i>
ejus cultura habenda.	ll. I. II. 3. 93
<i>Vsucapio</i> quid?	ll. I, VIII. 19. 220
ejus fundamentum.	ll. I. 8. 220
etiam inter liberas gentes earumque capita summa obtinet.	ll. I. VIII, 35. 236
<i>Usura</i> quæ compensativæ, lucrativæ.	ll. I. X. 9. 258
<i>Usurpator</i> quis?	ll. II. XV. .8 458

